MVTII SFORTIAE MONOPOLITANI HYMNORVM LIBRI TRES

In vniuersos Sanctos, quos hodierni Breuiarij Calendarium continet.

Quorum Primus sex Anni menses: Secundus sex alteros: Tertius vero Festa Mobilia complectitur.


AD S.D.N. CLEMENTEM VIII. PONT. MAX.



ROMAE Apud Aloysium Zannettum. 1593.

SVPERIORVM PERMISSV.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO CLEMENTI VIII. PONT. MAX.



MVTIVS SFORTIA F. AE.



VM animaduerterem (CLEMENS Pontifex Maxime) Græcos Poetas Lyricos tantis Enconijs, tot varijs carminibus illos Athletas, illosq. in quatuor Græciæ ludis victores ad cælum vsque celebrando extulisse: longè dignius, iustiusq. ar-

bitra-

bitratus ſum, vt in noſtros Sanctos omni laude digniſſimos Hymni conderentur, vtpote in veros Heroas, verosq́. victores, qui pro CHRISTO vſque ad ſanguinem decertantes; carnem, mundumque, ac diabolum triumphantes coronam decoris, & iuſtitiæ meruerunt de manu Dei. Quamobrem recitanti mihi quotidie Canonicas horas, horumq́. anniuerſaria feſta celebranti, ſubijt in mētem in vnumquemque eorum, quorum vita ex authenticis ſcriptoribus excerpta in Breuiario conſtaret: quorumque memoria in eius hodierno Calendario coleretur, vſitatis Eccleſiæ metris Hymnum condere, dummodo conſuetum in cæteris modum non excederē; quo facilius, & abſq. tædio cantari poſſit. Non curata interdum, vt verum fatear, ſyllabarum

rum

rum quãtitate. Quod euenit propter quædã nomina, quæ mihi ob Sanctorũ gloriam reticẽda non videbantur. Malui enim vt iambus tinnulus, ac dulcis in ore canentiũ flueret; quàm aſper, & interciſus præ nimia ſyllabarum obſeruatione hæreret. Et cum Romam tandem veniſſem, cùm vt ſanctorum corporum ſacras venerarer reliquias, tùm vt Sãctitati tuæ pedes deoſcularer; ne in tuo conſpectu vacuus apparerem, tibi hos libellos offerre, ac dedicare conſtitui. Cui enim melius conſecrarentur, quàm tibi, Sanctiſsime Pater, qui in terris illius vice fungeris, qui à Daniele Sanctus Sanctorum appellatur? Tua ergo Beatitudo quicquid id eſt munuſculi hilari vultu, alacrique animo ſuſcipiat, non tàm ipſius paruitatem, quàm decentiam intuens.

Ego

Ego verò abs te efflagitans, quod Iacob. ab Angelo, quo cum luctabatur, extorsit, benedictionem scilicet, venerabundus procumbo, tuosq. pedes deosculor, tibi longos annos, prosperamq. valetudinem ob Christianæ Reip. incolumitatem precatus. Romæ, Kal. Septemb.

IANVARIVS

MVTII SFORTIAE HYMNORVM

Liber Primus.

AD SANCTISS. D. N. CLEMENTEM VIII. PONT. MAX.

IANVARIVS.



IN CIRCVMCISIONE Domini.

AVREVM promat rediens in orbem
Sol diem, felix modo pandat annum
Lux nouum; cælum rutilet: fientq.
Omnia fausta.
Gaudeat mundus. Deus auspicatur
CHRISTVS en annum: proprium q. IESV

Accipit nomen. manifesta fulgent
Signa salutis.
Ipsa & id hunc re probat. en cruoris
Vagiens primas, roseasq. guttas
Spargit, vt nostri pretij forent hæ
Totius arra.
Alme Saluator, tua nos redemptos
Adiuuet semper pietas: & annum
Hunc tuis lætum, niueumq. labi
Vndiq. dona.
Sint Fames, pestes procul, atque morbi:
Barbarusq. hostis. lachrymosa nec nos
Bella perturbent; vitium neque vllum
Pectora fœdet.
Temporum sed da placidam quietem:
Copiam rerum; bona cuncta: & omnes
Gratias nostris animis, precamur,
Funde supernas.
Pectore vt te te, pie Rex, colentes
Semper ardenti, breuibus peractis
Denique his annis, mereamur aulam
Scandere cœli.
Voluitur quà non, remeatvè in orbem
Sol: at æternùm Deus ipse fulgens
Inter electos sine fine cuncta
Sæcula regnas.
Gloria Patri, genitæq. proli,
Et tibi compar vtriusq. semper
Spiritus alme, Deus vnus, omni
Tempore sæcli. Amen.

IN EPIPHANIA Domini.

ET preces castas, placitosq. odores
Cum Magis læti Domino offeramus
Hoc die, quo nos super eius alma
Gloria fulsit.
Sydus Eoo rutilans in orbe
Nuper exortum subitò sequuntur
Prouidi vates, vigilesq. Reges,
Donaq. portant.
Noctéq. illius radijs, dieq.
Ducti ad Hebræos properant, Syrosq.
Et requisitum puerum, Deumq.
Munere adorant.
Nanq. ceu Regi graue pondus auri,
Vt Deo iam thus, hominiq. Myrrham
Offerunt, flexis genibus, tiaris
Vertice nudo.
Pura Iordanis subijt fluenta
Hoc die, sacris manibusq. Vatis
Maximi tinctus, maculas IESVS
Abluit orbis.
Hoc die (vt Fama est) latices refusos
Hydrijs, vini in rosei liquorem
Nuptijs astans, miseransq. vertit
Author aquarum.
Gratiæ stellam superæ videntes
Te prece, & donis, gemituq. amaro,

Corde prostràti veneremur, ò Rex
Maxime Regum.
Diluant nostros lachrymæ reatus;
Spiritusq. almi calefacti ab æstu
Ad tuos læti thalamos canamus
Inclyte sponse.

IN S. HILARIVM EPISCOPVM, & Confessorem.

O Lampas Aquitaniæ,
Fons maxime Eloquentiæ,
Doctorq. HILARI, Ecclesiæ,
Laudes tuas nunc accipe.
Tu nanq. Pictauos regens
Sacris reuinctus infulis,
Ecclesiæ firmissimum
Fuisti propugnaculum.
Cum Cæsar ipsam degener,
Atq. Arriani euerterent,
Hanc propter exul pelleris;
Sed fortius tunc dimicas.
Scriptis enim cælestibus,
Mirisq. factis fulminas.
Et Trinitatis abdita
Tunc prædicas mysteria.
Dumq. explicas hæc, Gallico
Grandi cothurno attolleris.
Hìc sanctitatem comprobat
Per te excitatus mortuus.

Hinc

Hinc cessit hostis territus:
Sinitque abire liberum.
Has ipse victor nobiles
Palmas, refers, & Laureas.
De tam cruento prælio,
Tum te triumphantem tua
Excepit ardens Gallia
Illæsa per te permanens.
Hoc propter abste poscimus
Vt corda diro dogmate
Infecta, per te cælitus
Purgentur almo lumine.
Deo patri sit gloria, &c.

IN PAVLVM PRIMVM Eremitam.

O PAVLE Eremi nobilis.
Ac prime cultor; dum tuam
Vitam tuemur, non homo
Certè, at videris Angelus.
Vitans Tyrannos impios
Puer necantes Martyres,
Deserta tendis in loca,
Spelunca & ampla absconderis.
Hic Palma victum dactylis,
Vestemq. textis frondibus
Dat, fonsq. pellit aridam
Sitim perenni riuulo.

Tantæq. curæ es ætheri,
Tibi vt diebus singulis
Cibos, Eliæ vt alteri
Coruus ferat diuinitus.
Felix humi, atque inter feras
Solus iacebas corpore:
At mente supra sydera
Inter sedebas Cælites.
Sic bina lustra, & sæculum
Verè beatus exigis.
Donec adest Antonius,
Tecumq. panem diuidit.
Redit, ferensq. pallium
Te spectat inter Angelos.
Sacrumq. corpus contegit
Fossa eruta à Leonibus.
Humana sic horrescere,
Paruoq. lætos degere
Nos fac. quieti spiritus
Vt euolent ad æthera.
Gloria Patri Domino, &c.

IN S. MARCELLVM PAPAM, & Martyrem.

ROMANE vir fortissime,
MARCELLE magne Pontifex,
Tacenda sacri pectoris
Non est tui constantia.

Hortan-

Hortante te ditissima
Priscilla cœmeterium
Condit: Deiq. Ecclesiæ
Lucina rem dat propriam.
Sacram per vrbem plurimas
Ipse ordinas diœceses.
Hæc Cæsar audit impius,
In teq. motus fulminat.
Fœdumq. mittit in locum,
Aleres feras vt publicas.
Plures & hic ieiunijs
Oransq. menses exigis.
At raptus inde à Clericis
Lucinæ in æde Ecclesiam
Dicas, preces fundentibus
Quà Christianis prædicas.
Immittit ast hùc belluas
Tyrannus, vt custodias.
Pedore quare pessimo
Confectus is ad sydera.
Eia, Sacerdos maxime,
Nunc thura nostrarum precum
Offer Deo; iamq. impetra
Remissionem criminum.
Deo patri sit gloria,
Eiusq. soli Filio,
Cum Spiritu paraclito
In sempiterna sæcula.
Amen.

IN S. ANTONIVM Abbatem.

PRO tot triumphis inclytis
Quos rettulisti ab inuido
Rectore victo Tartari
Laudes canamus nunc tibi
ANTONI; at vnde exordium
Sumemus? vt te vendita
Pauisti egenos orphanus,
Dum verba CHRISTI combibis?
An vt diu in vastissima
Audax eremo degeris?
Quis quæ tulisti hic ardua
Dum corpus atteris, canat?
Sitim latex hic expulit:
Famemq. panis cum sale.
Humus cubile præbuit
O fortis in laboribus.
Hic in orationibus
Pernoctas: hic & prælia
Hoste cum sæuo conseris.
Pulsusq. vincis impium.
Miranda multa hic aspicis:
Hic perpatras miracula.
Per literasq. à Cæsare
Oraris, atque à plurimis.
Senex agens iam sæculum,
Lustrumq. linquens incolas

Mul-

Multos Eremi, ad gaudia
Optata cœli peruolas.
Sic Sarcinas deponere
Nos fac bonorum, liberi
Vt te sequentes præuium
Post te petamus sydera.
Præsta Pater piissime. &c.

IN CATHEDRA S. PETRI Romæ.

EVROPE, resonet: gaudeat Itala
Tellus: atque Duce hoc Roma superbiat.
Linquens en Asiæ regna potentia,
Vrbemq. Antiochi PETRVS
Paulo cum socio, tum Duce maximo
Lætans Hesperiam visit, & inclytam
Vrbem, quæ domitis gentibus imperat
Septem collibus ardua.
Capta vt, ceu capite, hac, arceq. totius
Mundi, exin citius cætera vinceret
Membra, omnes populos aurea denique
CHRISTI sub iuga mitteret.
Tu terræ dominans, fulgidaq. vrbium
Regina, his Ducibus mœnia gestiens
Pande ò. cinge & ouans tempora Laureis.
Tende his obuia brachia.
Nam non à domitis gentibus aduehunt
Gazas, aut titulos, capta vel agmina.

Nec pictis tabulis prælia iactitant,
Gentesve imperio additas.
Sed vinctos laqueis Dæmonas attrahunt:
Et cælum referant, ſyderaq. indicant.
Hos per vera ſalus fulget; ab inferis
Surge ad præmia gloriæ.
Tu nunc firma Petra, maxime Apoſtole,
Hanc vrbem vigili lumine protege.
Quam cõtra haud valeat praua neq. Hæreſis:
Nec gens impia, barbara.
Te Summa Deitas, vnaq. poſcimus. &c.

IN S. PRISCAM VIRGINEM, & Martyrem.

NON hic chorus ſilentio
O PRISCA, virgo nobilis,
Te præteribit, ò nigræ
Romæ refulgens ſtellula.
Haud carcer, haud te verbera,
Haud compulit feruens adeps:
Vt vſtulata, fractaq.
Diuis genu tu flecteres.
Leoni vt eſca obijceris:
At ille mitis procidit.
Et dum Theatrum perſonat,
Blanditur, & lambit pedes.
Non triduana te fames:
Non vngula excarnificans,

Rogus-

Rogus ve flammis igneus
Te læsit, ò sanctissima,
Nanque ille, pro quo talia
Tu fers amore saucia,
Has vincere, atque euadere
Pænas dedit diuinitus.
Ergo Vrbis extra mœnia
Ductæ caput præciditur,
O candidum Liliolum,
O cæli Rosa purpurans.
Tu nunc ab alto respice
Quæ Roma templa dedicat;
Oraq. sponsum, Virgines
Sibi sacras sic vulneret.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN SS. MARIVM, MARTHAM, Audifacem, & Abachum Martyres.

NVNC vos canemus nobiles, ac strenui
Persæ, Mariq., & Martha, & horũ nõ notha,
Sed vera proles Audifax, & Abachum,
Excelsa Romæ qui petistis mænia,
Vt ossa sacra viseretis Martyrum.
Hic pura pleni corda sancto spiritu
Exempla charitatis alta ostenditis
In Christianos dura passos vincula.
Proiecta sanctorumq. humatis corpora.
Quare impij vos vinciunt, ac territant.

CHRI-

CHRISTVM fatentes, in fideq. immobiles
Cædunt bacillis, attrahuntq. funibus.
Et membra lamnis vstulant candentibus.
Ac ferrea aspera vngula excarnificant;
Manusq. truncant, adq. colla deligant.
Mediam per vrbem sic cruentis artubus
Itis: sed extra mœnium iam limitem
Caput virili demetunt heu fœminæ
Primùm: marito exinde, & inde filijs;
Dirisq. trunca membra tradunt ignibus.
Vos ò coronis impediti Martyres,
Qui nunc triumphatis superna in patria,
Tormenta ferre, opprobrijsq. haud cedere
Nos date ob IESVM, cui preces effundite
Vestro vt beato cœtui nos inserat.
Sit Trinitati sempiterna gloria.
Honor, potestas, atque iubilatio
In vnitate cui manet imperium
Et nunc, & modo
Per æterna sæcula. Amen.

IN S. FABIANVM PAPAM, & Martyrem.

MITRA decorus triplici
FABIANE clare Pontifex,
Ne temne quas nunc debitas
Romane, laudes psallimus.
Nam non duo te Cæsares
Perterruerunt impij,

Quin

Quin per ministros pauperes
Bonis alas Ecclesiæ.
Neu clara facta Martyrum
Deleret atra obliuio,
Notari vbique hæc præcipis,
Verisq. scribi paginis.
Per te quotannis vritur
Vetus, nouumq. conditur
Chrisma. & nouos hæreticos
Pastor vigil tu perculis.
Sic dimicans viriliter
CHRISTVMQ. fassus sanguine
Linquens Mitram sequentibus
Cæli ad coronam peruolas.
Nunc flecte iusti Iudicis
Iram, Sacerdos Optime;
Offerq. pro fidelibus
Orationum victimas.
Te nunc Redemptor quæsumus, &c.

IN S. SEBASTIANVM martyrem.

MILES triumphans sæculum,
Armatus audi spiculis
SEBASTIANE, quas tibi
Laudes ouantes pangimus.
Illustribus parentibus
Ortus, valensq. robore

Sæuo Tyranno militans
Iuuas latenter Martyres.
Tormenta per te fortiter
Ferunt, Deumq. prædicant.
Id Cæsar audit, & furit.
Sed tu fateris propalàm.
Quare impij te vinciunt,
In teq. signum dirigunt
Tensis sagittas arcubus:
Linquuntq. cassum lumine.
Serpens velut dehinc integer
Micas, Tyrannumq. increpas.
Ille horruit, cùm cerneret
Quem mortuum putauerat.
Contusus ergo corneis
Virgis, Deo iam spiritum
Reddis, velutq. triticum
Mundum Polo reconderis.
Bis Martyr alme, & emicans
Nunc mille plagis, sic pati
Nos fac pro CHRISTO, in æthere
Vt fulgeamus Laureis.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. AGNETEM VIRG. & martyrem.

O carens omni macula, vel ipso
Clarior Phœbo, nitidoq. Olympo,

Hostia

Hostia, hùc, pura venias, precamur,
Purior, AGNES.
Sic amas Regem teneris ab annis
Luna cui paret, famulatur & Sol,
Virgo, vt hunc propter, sapiens, Amores,
Cunctaq. temnas.
Haud prece, haud donis, lachrymisq. amator
Te furens flexit genitus Tyranni.
Non minis mouit, varijsq. pœnis
Terruit ille.
Sancta in infamem traheris tabernam.
Angelus sed te vigilans tuetur.
Irruit: sed te cadit ante amator
Lumine cassus.
Suscitas at tu, miserumq. saluas.
Ignis vt iam te voret, excitatur.
In duas partes tamen ipsa scissa
Flamma pepercit.
Ergo formosum, tenerumq. collum
Amputat, pœnas resecans, bipennis.
Hinc Rosis Martyr tua cana, Virgo,
Lilia misces.
Hisq. te cingens petis, alma, sponsum.
Qui suis & te redimiuit astris.
Roma at exultans veneratur aris,
Teq. celebrat.
Casta nunc, AGNES, prece nosq. castos
Fac modò, & nobis rigidum Tonantem
Flecte. Nanq. illi cadis ipsa cæsa
Agna securi.

Glo-

Gloria patri, genitæq. proli. &c.

IN S. VINCENTIVM Martyrem.

CLARAS modò victorias
Inuicte, VINCENTI, tuas
Partas tibi per vulnera
Lætis canamus vocibus.
O bellicosæ Hispaniæ
Honos, & Oschæ gloria,
Dum prædicas tu feruidè
CHRISTI nouum præconium;
Accersit ad se protinus
Tyrannus amens, membraq.
Diris flagellis dissecat,
Sæuisq. pœnis territat:
Fractisq. testis asperum
In carcerem detruderis.
Sed lux supernè fulgurans
Te mulcet, atque illuminat.
In culcitra reconderis:
Atque vngulis discerperis;
Torreris in craticula:
Lamnisq. totus vreris.
Sed nec voluptas subdola,
Nec ignis ardens, nec manus
Tortoris, aut vis ferrea
Te quiuit vnquam vincere.

Hinc

Hinc insepultus tu iaces:
At Coruus astans protegit.
Fluctus in altos mitteris:
Ad littus hi sed euomunt.
O digne mille Laureis
Beate Martyr, gaudia
Nos sæculi fac temnere:
Vt gaudeamus perpetim.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. ANASTASIVM Martyrem.

HVC, sancte solitarie,
Ades: Trophæum pangimus,
Quo tu superna ad gaudia
Resurrexisti, ANASTASI,
Terras relinquens Persidis
Locos Palestinæ sacros
Inuisis, & cunabula,
Queis conditor vagierat.
Hic multa captus fortiter
Pro CHRISTI acerba nomine,
Et vincla fers, & verbera,
Sed duriora sustines.
Nam Persiam reuerteris.
Et Persa Rex immanior
Cum pluribus fortissimis
Hic te securi percutit,

Sic fulſus ipſe hoc agmine
Palmis decoro, ad Laureas
Semper virentes euolas,
Et cælitum conſortium.
Tuam potentem per precem
Saluos die fac vltimo
Nos, vt queamus fulgidi
Ad gloriam reſurgere.
Te nunc Redemptor quæſumus. &c.

IN S. EMERENTIANAM Virg. & Mart.

NEC iam relinquet hic chorus
EMERENTIANA, inclyta
Te Virgo, collactanea
AGNETIS almæ, & æmula.
Nam donec imperterrita
Tu ſæuientes impios
In Chriſtianos increpas,
Deosq. eorum deſpicis.
Ecce hi prehenſis irruunt
Saxis: & iſta grandine
Facto impetu te verberant,
Et vulnerant, & obruunt.
At ipſa in his tumultibus
Buſtum ſuper te proijcis
Agnetis: atque hanc inuocas,
Deoq. reddis ſpiritum.

In

In astra sic is candida,
Cruore tincta proprio.
Nam lympha te baptismatis
Sacrata non dum lauerat.
Tu cum sorore splendida,
Illoq. protomartyre
CHRISTVM precare, vt protegat
Ab ictibus nos Dæmonum.
Laus, honor, virtus, gloria
Deo Patri cum Filio, &c.

IN S. TIMOTHEVM Episc.& Marty.

ORNATE sacris infulis
Magniq. alumne Apostoli,
Dignare iam, TIMOTHEE,
Audire honores nunc tuos.
Quanquam satis tu nobilis
His non eges præconijs.
Scriptis enim perennibus
LVCAS suis te condidit.
Et PAVLVS ipse Apostolus
Dum te duabus admonet
Epistolis: Ecclesiis
Te Christianis prædicat.
Cuius fuisti tu comes,
Qui sanctitatis conscius
Tuæ, sacrum te præsulem
Ephesoq. magnæ præficit.

Doctoris huius strennuus
Alumnus ipse, hanc arguis
Suæ immolantem Deliæ,
Numen Dianæ destruens.
Furore at illa percita
Bacchatur in te saxea
Crebraq. pulsat grandine,
Densoq. nimbo hoc obruit.
At ipse semimortuus
A Christianis erutus
Efflas coactum spiritum:
Volasq. ad æthræ Laureas.
Factis, fideq. sic Deo
Nos fac honores reddere.
Vt nulla vis mortalium
Nos cultu ab eius diuidat.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN CONVERSIONE S. PAVLI Apostoli.

EXVLTET en Ecclesia
Tàm claro adaucta iam Duce;
Apparet in quo splendidè
Dextræ Dei mutatio.
Nam voce CHRISTI ab æthere
Tu, PAVLE, tactus hoc die
Agnus rapaci de Lupo
Fis, atque Pastor optimus.

Tu Doctor almus gentium
Præuisus ante sæcula.
Tu vas refulgens vndique
Electionis gratia.
Nec misit olim sub iuga
Romanus aut Dux barbarus,
Seu Graius vnquam gentium
Tantum cruentis prælijs.
Quantum micans miraculis,
Noctes, diesq. prædicans
Tu fulmen ad Christi fidem
Subdis, rapisq. strennuè.
Idcirco, da, nos poscimus
Conuerti ab his terrestribus:
Verumq. lumen insequi.
Fruamur vt per sæcula.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. POLYCARPVM Episc. & Marty.

EIA IOHANNIS inclyte
Alumne, Pastor optime,
Asiæq. princeps totius
POLYCARPE, dexter hùc ades.
Ecquis tibi non deferat
Si magno ab ipso Apostolo
Smyrnæ ordinato præsuli
Aurora tantum detulit?

Apostolos nam plurimos
Exaudiens aspexeras.
Facti & hos heroicis
Sectaris altus æmulus.
Nempe ipse Romam deuenis
Vt quæstiones diuidas.
Ad veritatemq. attrahis
Quos Hæresis seduxerat.
Smyrnam reuersus denique
Plebe in Theatro maximo
Plaudente, flammis traderis,
At his nihil lædentibus.
Confossus ense pectora
Reddis beatum spiritum:
Qui tersus igne, & sanguine
Lotus, migrauit ad Polos.
Nos ferre fructus plurimos
Fac: ne colonus puniens
Euellat, atque vt arbores
Infructuosas concremet.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. IOHANNEM
Chrysostomum, Episcopum,
& Confessorem.

INFVLA sacra redimitus adsis
Sancte IOHANNES, columen, decusq.
Quem tulit CHRISTI populo celebris
Antiochèa.

Alta

Alta Bizanti decorauit vt te
Mitra ab Augusto data, dumq. Pastor
Per fricas tabem gregis, atque mores
Impetis ardens.
Præsulum liuor rapit inde, & ira
Impiæ Augustæ profugum relegat,
Pauperum turba lachrymante raptum vt
Funere patrem.
Redderis rursum solio priori.
Eius at ludos statuæ vetantem
Cæsaris rursus agit exulem te
Improba coniux.
Hem quot hic gentes mala multa passus
Vertis ad CHRISTVM? rediensq. claro
Martyris visu monitus, quiescis
Aetheris aula.
Alme, cui PAVLVS sua sensa pandit:
Quoq. non alter melior, supernas
Siue scripturas aperis, doces vel
Cælica gentes.
Nam tonas, ardes, velutiq. fulgur
Corda proscindis, lacrymasq. amaras
Elicis verax, animasq. terrens
Ducis ad astra.
Aureus fons qui fluit aureo de
Ore facundo tibi, nos ab omni
Crimine ablutos superùm choreis
Inserat altis.
Sit salus illi decus, atque virtus. &c

IN S. AGNETEM
Secundò.


TE rursus, AGNES inclyta,
Binis decora Laureis
(Sic alma cælis emicas)
Noster celebret hic chorus.
Sed quid, parentes nobiles,
Hac prole felicissimi,
Lugetis hanc vt mortuam
Si Diua in astris promicat?
Soletur vt vos, en adest,
Ducens choreas virginum,
Sponsi refulgens lumine
Cum Lilijs, & canticis.
Videtis vt Constantia
Eius sepulchrum visitet
Mali medelam postulans?
Vt somnians hanc impetret?
Vt facta voti iam rea
In fonte sacro tingitur
Iam Christiana? vt filiæ
Immane templum dedicat?
Quæ magna regina auserit
Se comparare nunc tibi,
Si te celebrat laudibus
Bis annuis Ecclesia?
O Agna tu purissima
Agno vaganti ad Lilia

Offer

Offer coronas supplicum
Orationum floridas.
Laus, honor, virtus, Gloria
Deo patri, ac Filio:
Sancto simul Paraclito
In sempiterna sæcula.
Amen.

IANVARII
FINIS.





FEBRVARIVS.



IN S. IGNATIVM Episc. & Martyrem.

IGNITE sancti Spiritus
IGNATI ab igne feruido
Pulcher cruore, & infulis,
Tuas coronas accipe.
Tu, ceu sequutus es PETRVM
Dum sacra lora suscipis
Antiochenæ Ecclesiæ,
Et temperas Episcopus.
Sic illius vestigia
Sectaris, vrbem Romulam
Intrans reuinctus, bestias
Sacris alas vt carnibus.

Illum

Illum Polo Crux reddidit
Verso sed actum vertice.
At tu Leonum dentibus
Deo immolaris Hostia.
O maximum spectaculum.
Vt Roma te cum Cæsare
Spectabat imperterritum,
Et prouocantem belluas.
Sic CHRISTVS alto ab æthere
Cernebat, vnàq. Angeli,
Sed præparantes Laureas.
Quas ipse victor accipis.
Hanc, Sancte, fortitudinem
Nobis, precamur, impetra.
Ne rugientes inferi
Heu nos Leones deuorent.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN PVRIFICATIONE B. Mariæ.

EAMVS & nos obuij
Illo beato cum sene
Cum Matre templum virgine
Ingredienti Domino.
Qui iura Mosi tradidit
Sinæ in supremo vertice,
Sub lege factus hoc hodie
Adimplet ipsam conditor.

Matre

Matre ex egena sistitur
Ad patris ædes fulgidas.
Purgationis vt dies
Impleuit, vt lex imperat.
Quamuis Olympo lucido,
Et Sole, & astris clarior
His non egeret: attamen
Vt Natus, ipsa obtemperat.
CHRISTVM suis at excipit
Vlnis beatus Symeon;
Illumq. gestat, qui sua
Virtute portat omnia.
Cape, Anna, quem tu, seruiens
Deo tot annis, cernere
Desiderasti, atque indica:
Hæc, Virgo, tu considera.
Ob id, Redemptor, quæsumus
Da sordibus nos criminum
Mundos tibi nos sistere:
Cælo vt micemus perpetim:
Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine, &c.

IN S. BLASIVM Episc. & marty.

AVDI tuum præconium
Tænis decore, & purpura
BLASI, celebris Cappadox,
Decus Sebastæ fulgidum.

Hic

Hic sanctitate nobilis
Præsul crearis inclytus.
At Dalmata tunc Principe
Desæuiente in Martyres;
In montis Argæi specu
Lates. sed inde Præsidis
Miles cruentus extrahit
Venatione hac iubilans.
Teq. arctat atro carcere.
In quo superna gratia
Tu languidos quamplurimos
Curas, Deoq. parturis.
In queis puer tunc adfuit
Qui spe salutis excidens
Hærente spina faucibus
Transuersa agebat animam.
Exinde virgis cæderis:
Distenderisq. equuleo.
Laniato & aspro pectine
Tandem caput præciditur.
Tua, Sacerdos, nos prece
Apud Tonantem subleua;
Et pelle casus asperos,
Et da salutem mentium.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. AGATHAM VIRG. & Martyrem.

SALVE, decus Trinacriæ,

Cata-

Catanæq. spes, & gloria:
O Virgo splendens, ò bona
Virago fortis, AGATHA.
Non ille Præses improbus
Te sæuiens perterruit,
Formæ tuæ pulcherrimæ
Amore captus lubrico.
Non fraude turpis fæminæ
Pudica læsit pectora.
Ergo intuens immobilem,
Tormenta sæuus expedit.
Lamnisq. te candentibus
Vri imperat. tum lacteam
Vellens papillam forcipe
Pectus cruentat candidum.
Curans sed hanc Apostolus
Instaurat ad certamina.
Hinc volutaris testulis,
Prunisq. tu flammantibus.
Sed terra mota cælitus
Tyranni amicos obruit.
Quare ille plebis incitæ
Pauens tumultum, destitit.
Ergo in tenebras carceris
Reducta semimortua
Orans IESVM seruidè
Efflas beatum spiritum.
Sic nos pudicos degere;
Ac ferre pœnas fortiter
Da Virgo fulgens in Polo

Pal-

Palma, & micanti lampade.
Laus, honor, virtus, gloria
Deo Patri, & Filio,
Sancto simul Paraclyto,
In sempiterna sæcula. Amen.

IN S. DOROTHEAM Virg. & Marty.

TE, Cappadox DOROTHEA,
Noster chorus nunc concinat,
Claram corona duplici
Quam protulit Cæsarea.
Quis nam palæstram versibus
Nunc explicet, quam conseris
Cum perfidis sororibus,
Quas incitabat Lucifer?
Virtute CHRISTI præualens
Has ipsa victrix deijcis.
Hinc alleuans, offers Deo,
Victasq. victrices facis.
Nam Christianæ ad fulgidam
Palmam volarunt Martyres.
Sed ipsa torta equuleo,
Palmisq. cæsa turpiter,
Sacrum securi interrita
Præbes caput. sic ad caput
Sponsum tuum te complicas
Membrum decorum purpura.

Dei

Dei benigna munera
Effunde tu, DOROTHEA;
Ditati vt istis largiter
Grates agamus largius.
Deo patri sit gloria,
Eiusq. soli Filio. &c

IN S. APOLLONIAM Virg. & Marty.

O, Martyr APOLLONIA,
Alexandreæ gloria,
Virgo refulgens, hùc ades;
Tuasq. Palmas accipe.
Haud sexus, haud ætas grauis
Annis: nec ictus asperi:
Haud ora contusa: omnium
Nec vulsa septa dentium,
Te compulère, vt Dæmonum
Fœdas ad aras, thurea
Tu victa ferres munera.
Sed prædicas CHRISTVM magis.
Ingens rogus succenditur,
Vt pertinacem te cremet.
At Inda sicut bellua
Visa irruit iam purpura;
Sic per furentes ignium
Vltrò globos tu transilis:
Victrixq. cæli mœnia,
Arcesq. prendis lucidas.

Dum

85

Dum corpus hic comburitur
Lambens fauillis æthera,
Deoq. grata victima
Nidore mulcet Angelos.
Sic nos per ignem, quæsimus,
Tu fac malorum candidos
Detersum vt aurum cœlico
Thesauro in illo condier.
Laus, honor, virtus, gloria.
Deo Patri, & Filio. &c.

IN SS. FAVSTINVM, & Iouitam Martyres.

NVNC Brixiæ vos lumina
FAVSTINE, & IOVITA inclyti,
Multis coronis fulgidos
Læto canamus pectore.
Tormenta passi Martyres
Semel cruento sæculo
Victo, volarunt ad Deum
Partis coronis nobiles.
At vos per vrbes Italas
Tracti catenis asperis
Tormenta sæpe plurima
Tulistis ob CHRISTI fidem.
Hoc asserit iam Brixia.
Testisq. adest Insubria.
Negare Roma non potest,
Testatur, & Neapolis,

Vidère quæ vos, beſtias,
Pœnasq., & æquor, & globos
Ardentis ignis ſoſpites
Virtute CHRISTI euadere.
Sed tuta veſtris oſſibus,
Foretq. læta vt patria,
Tandem bipennis Brixiæ
Caput reuerſis amputat.
Non vos ſatis laudauimus
O quinquies iam Martyres.
Sed nos perenni Laurea
Dignos precamur reddite.
Te nunc Redemptor quæſumus. &c.

IN S. SIMEONEM EPISC. & Martyrem.

PRAECLARA proles Cleophæ,
Præſul ſacer Hieruſalem,
Tuos triumphos nobiles
Audi, beate SIMEON.
At quis pari te carmine
Laudare dignè ſufficit
Inuicte ſanguis Dauidis,
Proleſq. verè Regia?
Certamen hoc cum ſtrennuus
Poſt ſæculum certaueris,
Vt alter haud te fortius
Pœnas graues cucurrerit.

Nam

Nam tu Crucis iam stipitem
Ceu CHRISTVS olim scanderat,
Subis senex haud languidus
Tormenta passus plurima.
O morte CHRISTO in aspera
Propinquior quàm sanguine.
Miratus at quis impius
Non est tuam constantiam?
Nanque ipse iunctum quattuor
Lustris agebas sæculum.
Renouatus ast in æthere
Vires iuuenta florida.
Ob passionis hoc genus,
Affinitatemq. intimus
CHRISTO, Sacerdos Optime,
Peccata nostra dilue.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN CATHEDRA S. PETRI Antiochiæ.

IAM militans Ecclesia
Festum celebret hunc diem.
Clauigeroq. æthereo
Thus vrat, hymnos concinat.
Nam CHRISTI in hoc Vicarius
Hierusalem iam deserens
Antiochèam floridam
Illuminans vt contigit;

Hic fixit altam Cathedram
Quæ terræ & astris imperat.
Sacrasq. cepit infulas
Quas pertimescunt Inferi.
Gentes beatæ gaudeant.
Cristasq. Orbntes efferat.
Linquens Hebræos perfidos
En PETRVS affert lampada.
Qua dæmonas dignoscere
Possint, Deumq. cernere.
O vera proles Abrahæ
Promissa ad astra currite.
Illùc priorem poscimus
Cultum reduc, Apostole,
Nanque illa rursus nunc loca
Dæmon tenent, atque impij.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. MATTHIAM Apostolum.

CVLMINE excelso residens Olympi
Inq. bissenis solijs refulgens:
Sancte MATTHIAS, modo dexter huc te
Lumina flecte.
Quas tibi panget chorus iste laudes
Quæ tuis æquæ meritis canantur,
Quando te multis tua rara virtus
Prætulit vnum?

Ex tot Heroum numero supremo
Dignior non te fuit vllus, ordo
Quem sacer fratrum caperet repletus
Iudice CHRISTO.

Nam locum, quo iam ruerat nefandus
Proditor quondam, subis ipse lectus
Non leui casu, populi neque aura,
Nec graue ob aurum.

Regis at terræ, superùmq. nutu.
Nam sacras PETRO iaciente sortes,
Te legit de tot Deus, ò beate
Terq. quaterque.


Propter hanc ergo tibi tàm secundè
Prosperam sortem, superumq. honorem
Lætus hùc adsis memor, hæcq. nostra
Accipe vota.

Scilicet Sors vt Dominus sit alma
Nostra; tum cœli bona sortiamur;
Sancte, te, mundo titubante, miti
Iudice salui.

Præstet hoc nobis Deitas beata. &c.

FEBRVARII

FINIS.



MARTIVS.



IN S. THOMAM DE AQVINO Confessorem.

TV nouum sydus tenebris in atris
Per Dei nutum radians Aquini
Nubila expellis, reserasq. verum
Inclyte THOMA.
Patribus claris, opibusq. fulgens
Hæc puer temnis: tenerumq. CHRISTI
Te iugo subdis, religasq. vinclis
Ordinis almi.
Hìcq. per priscam sophiam vagatus
Paginas sacras, Latiosq. Patres,
Et simul Graios relegens, profundo
Pectore condis.

E quibus carpens Apis vt Matina
Optimos sensus, variosq. flores
Mella componis, placitoq. reples
Nectare cellam.
Nam neque aurata radians arena
Hermus, aut gemmis rutilans Hydaspes
Ditibus tantam super arua gazam
Expuit vndis.
E tuis quantam, venerande, scriptis
Ipse depromis; superùmq. largas
Gratias præbes, opulenta pleno vt
Copia cornu.
Nec minus vita nitida coruscas
Continens Virgo, prece qui potenti
Nos simul castos, docilesq. duc ad
Aetheris arces.
Sit salus illi decus, atque virtus. &c

IN SS. QVADRAGINTA Martyres.

AT nunc, Quaterdeni inclyti,
Fortissimiq. Martyres,
Vestros triumphos intonet
Noster chorus tripudians.
Graiæ sed eloquentiæ
Duæ tubæ clarissimæ
Cecinère sic vos: obruant
Vt nostra rauca carmina.

Sic corde vestro charitas
Flagrabat, atque amor Dei:
Vt non gelu, non frigora
Possint eum restinguere.
Ardebat alto in pectore
CHRISTI Fides, sic perpeti
Magnoq. lucens lumine,
Vt flatibus non cesserit.
Quin nudi ita aduersarium
Calcastis inferum, Polo
Vt deuolantes lucidas
Spectetis astris Laureas.
Nec stagna, sat, rigentia,
Boreasq. flabris horridus;
Ni cruribus fractis quoque
Ab ignibus crememini.
Sic per rigentes vos aquas
Transistis, atque incendia.
At nunc coronatos tenet
Perenne refrigerium.
Sic nos amore feruidi
Cælestium, vestra prece,
Calcemus aduersa omnia,
Illis fruamur vt bonis
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN

IN S. GREGORIVM PAPAM, & Confessorem, & Ecclesiæ Doctorem.

NVNC tuas laudes celebres canamus
GREGORI fortis, vigilansq. Pastor,
Magne, Doctorum decus, atque Romæ
Splendida lampas.
Nam sacras ædes tenera iuuenta
Construis septem venerandus Abbas.
Inde Bizanti fidei labantis
Dogmata fulcis.
Dumq. te quærunt titubante mundo
Præside orbato, petis ipse rupes.
Igneo sed te radians columna
Lumine prodit
Orbis hinc sacras moderans habenas
Hospitem CHRISTVM recipis, ferosq.
Territas Reges, opibusq. largis
Pascis egenos.
Vtq. Sol nubes, Fidei superba
Monstra contundis: reserasq. CHRISTI
Lumen haud visum penitus remotis
Orbe Britannis.
Debili membris, validoq. mente
Sancta dictauit tibi scripta sanctus
Spiritus forma niueæ Columbæ
Vertice sidens.

Cla-

Clarus & miris super astra scandis.
Dumq. ibi gaudes meritis onustus
Nos cibas sanctis, trahis adq. cæli
Sydera dictis.
Sit Deo semper decus, atque virtus
GREGORI qui nos precibus gubernet:
Atque purgatas animas pianti
Eruat igni. Amen.

IN S. IOSEPH Confessorem.

VIRGINIS sponso, geruloq. CHRISTI
Quas decet laudes meritò canamus.
Nam magis non te celebrandus alter
Inclyte IOSEPH.
Regibus claris, Solymisq. natus
Dignior cunctis etenim fuisti
Sponsa cui magnum paritura CHRISTVM
Virgo daretur.
Vix Iohannes caput irrigare
Ausus est illi fluuio recenti:
Calceos huic se minus esse dignum
Soluere fassus.
Atque alumnorum duodena turba
Semper obseruans meritos honores
Detulit: semper verita eius almum
Tangere corpus.
Sed tuo repsit gremio, tuisq.
Brachijs hæsit: tibi blanda fixit.

Oscu-

Oscula vt patri: tibi seq. mundi
Subdidit author.
Tu sacer custos niuei pudoris,
Testis & partus celebris verendi
Angelos audis, recipisq. Regum
Mystica dona.
Matre cum sancta, nitidaq. sponsa
Filium summum, geminæq. Fabrum
Machinæ, felix Faber ipse, nobis
Flecte, precamur.
Sit salus illi decus, atque virtus. &c.

IN S. BENEDICTVM Abbatem.

ITALAE terræ decus, atque clara
Nursiæ lampas, BENEDICTE, quo te
Carmine extollet chorus iste, magni
Ordinis author?
Tu latens dudum tumidos honores
Temnis; & doctus, sacer atque CHRISTO,
Vepribusq. artus lacerans, rebellem
Deijcis hostem.
Excidit mixtum manibus venenum
Fraude detecta Crucis, alme, signo.
Inde Cassinum colis, hicq. sacras
Construis ædes.
Mira quis narret modò quæ patrasti?
Tu Deo plenus canis & futura.

Hæcq. ab euentu sibi Rex Gothorum
Certa probauit.
Præscius mortis subis alta Templa:
Pane cælesti satur hincq. migras
Ad Polum cantans, velut albus ipso in
Funere Cygnus.
Spiritum cuius pretioso amictum
Pallio bini Monachi tuentes
Audiunt, Calle hoc BENEDICTVS astra
Aurea scandit.
Virgines, Abbas venerande, sacras
Nunc tuas serua, pariterq. fratres:
Vt tibi fiant similes: eisq.
Porrige dextram.
Nosq. ab exemplis operum tuorum
Ad viam rectam stimula: queamus
Vt supra cælos residere tecum
Omne per æuum. Amen.

IN ANNVNTIATIONE B.Mariæ.


NVPTIAS Regis canimus superni.
Vtq. homo factus Deus è micanti
Arce descendens grauidam replerit
Virginis aluum.
Nuntium cælis, vbi plenitudo
Temporis venit, superùm creator
Sponsæ ab æterno sibi præparatæ
Mittit ouantem.

De-

Deuolat celſo Gabriel Olympo,
Aureasq. alas quatiens per auras
Ordine expromit pauidæ puellæ
Iuſſa Tonantis.
Illa turbatur, rogitatq. cauſas.
Aſt vbi (cauſas referente claras
Nuntio) aſſenſa eſt, reſeratur ecce:
Gaudet & æther.
Concipit Virgo; moderansq. mundum
Sydera haud linquens vterum puellæ
Complet. Et quem non capiunt ſonantis
Aeqnoris vndæ;
Non Poli tractus, gremiumq. terræ:
Virginis venter capit. O parentis
Splendor, en quò te pietas, Amorq.
Magnus adegit.
Alma, cui floret reparatus orbis,
Ipſa ſis felix. genitumq. da nos
Ferre conceptum niuea, piaq.
Mente, precamur.
CHRISTE, laus, virtus tibi quem refulgens
Virgo concepit, peperitq Virgo,
Cum Patre, & ſancto ſimul vtriusq.
Flamine ſemper.

MARTII

FINIS.



APRILIS.



IN S. FRANCISCVM de Paula, Confess.

AD VESPERAS.

O pater, pro quo Calabri, parensq.
Paula se iactat: velut ob priorem
Læta Franciscum super astra tollit
Vmbria cristas;
Quas tibi laudes Minimi canentes
Intonant, audi. Columen labanti
Te Deus mundo miseratus alto ex
Aethere misit.
Teq. cæleſti, rigidaq. clarum

Extu-

Extulit vita, celebremq. multis
Reddidit miris, Elementa subdens,
Numineq. afflans.
Namque iter strauit tibi vela danti
Aequor, vt PETRO: puerisq. Hebraeis
Ignis vt cessit: tibi sic, honorans,
Flamma pepercit.
Gloria Patri, genitaeq. proli. &c.

Ad Matutinum.

DVM silet mundus, mediumq. caelum
Nox tenet, dulces meditamur Hymnos
Nos tibi, ò noster Pater, intonantes
Inclyta facta.
Lingua sed quae nam resonare possit,
Quod tuas carmen celebrare laudes,
Gratias si tot tibi largus aether
Contulit aetherum?
Ante te languor cecidit, cohorsq.
Dira morborum trepidauit, & Mors
Te tremens, plures vomuit sub auras
Ante voratos.
Plenus & vates animae supernae
Acta iam cernis, canis & futura.
Et tuo Europam celebri, & verendo
Nomine comples.
Vnde te Gallus cupit intueri.
Gallias iussus peragras. auent te
Alloqui Reges, velutiq. magnum

Nu-

Numen honorant.

Hic senex hora, pariterq. eadem
Tu die expiras, animam parenti
Qua suo tradit Cruce fixus alta
Aetheris author.
Sit salus illi decus, atque virtus. &c.

AD LAVDES.

LVCIFER stellas, tenebrasq. pellit:
Et diem cantu volucres salutant:
Te, Parens, ergo veneremur ipsi
Dulcibus hymnis.
Optat Hispanus iuga ferre sanctæ
Regulæ, & collo subit: vtq. magna
Vitis excrescis, celeriq. mundum
Palmite obumbras.
Italus cuna: at tumulo superbit
Gallus. assistens modò sed Tonanti
Gratias tu das, pia vota obaudis
Sæpè vocatus.
Sic tuos natos Minimos, tibiq.
Corde deuotos precibus tuère.
A Deoq. illis, Pater, impetrato
Munera iusta.
Quod facis. Nam tu simul inuocaris,
Gratias præstas. struit vnde templum
Hic tibi voti reus: ille sacras
Erigit aras.
Gloria & regnum tibi Confitentum

Summe Rex, lampas, decus, & corona,
Cum Patre æterno, pariterq. sancto
Flamine semper. Amen.

IN S. LEONEM PAPAM, & Confessorem.

THVRA cum sancta prece nunc ad aras
Demus, alterno & celebremus hymno
Te, LEO, cæli decus, atque Thuscæ
Gloria terræ.
Pontifex, in te mage quid canemus?
Copiam fandi, vigilantiam ne?
An piam mentem? benefacta an alta?
Clara vè mira?
Te Dei sæuum timuit flagellum
Ille Rex Hunnus: rapidumq. ab vrbe
Agmen abduxit radiante Petri
Territus ense.
Viq. verborum facilis tuorum
Paruit, Romæ & miseræ pepercit,
Abstinens igni, rabidaq. cæde
Barbarus alter,
Inde conuersus fidei rebelles
Edomas hostes; variasq. frangis
Hæreses, asper, celebriq. Patrum
Agmine fultus.
Atque Sanctorum reficis labantes
Tu sacras ædes; populisq. sancta

Prædicans, chartæ monimenta mandas
Clara perenni.
Nanque vt incedit Libyæ per arua
Regium spirans Leo; talis ipse
Intonans altum, latio perornas
Scripta cothurno.
Cælici flammæ rapidæ furoris
Ipse nunc obsta: velut ille Mosis
Frater; ac nobis placidum, sacerdos,
Redde Tonantem.
Sit salus illi decus, atque virtus. &c.

IN S. ANICETVM PAPAM, & Martyrem.

NEC Pontifex te maxime
Nunc obruet silentium,
O ANICETE Syriæ
Honos, decusq. fulgidum.
Per bina lustra Ecclesiam
Dei regens sanctissimè
Multa ordinas, quæ maximis
Sunt comprobata à Synodis.
Neu sancta Christo pectora
Irreperet lasciuia,
Iubes comam ne nutriant,
Sacris vacent vt promptius.
Tuam stolam dehinc abluis
Agniin salubri san guine.

Mar-

Martyrq. cinctus Laurea
Pro CHRISTO in astra peruolas.
Vt hostias pinguissimas
Orationes feruidas
Offer Deo, te poscimus,
Pro Christianis gentibus.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN SS. VALERIANVM, & Tiburtium, & Maximum Martyres.

AT efferamus laudibus
Insigne par Quiritium,
Qui clarius quàm sydera
Gemella fulgent in Polo.
Valeriane nuptijs
Felix beatæ Virginis,
Renatus vnda cælica
In luce cernis Angelum.
Impertis hæc Tiburtio.
Germanus ille, haud degener
Iam te sequutus, omnia
Quæ dixeras, vera aspicit.
Quis clara facta prædicet?
Vt vendita re pascitis
Inopes; sepulcro vt conditis
Tot Christianos Martyres?
Maiora quis certamina
Narret: Deosq. vt temnitis?

Vt fertis aspra verbera
Pro CHRISTI amati nomine?
Præbetis vt securibus
Nudata colla fortia?
Motusq. vt his tu, Maxime,
Te Christianum clamitas?
Vt cum ministris plurimis
Cædaris vsque ad sanguinem?
Cinctiq. vt vnà Laureis
Petistis æthram Martyres?
Hanc, sancte cœtus, poscimus
Largire fortitudinem.
Et funde pro nobis preces
Mundi ad regentem machinam.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN SS. SOTHERA, ET CAIVM, Pontifices, & Marty.

ECCLESIAE nunc lampadas
Duas, duos Pontifices
Sothera, Caiumq. inclytum
Læti canamus hoc die.
Campane SOTHER nobilis,
Iubens sacræ ne Virgines
Vel sacra vasa attingerent,
Thura aut cremanda imponerent;
Dominiq. cœna vt annua
Plebs Christiana sumeret

Chri-

CHRISTI corpus sanctissimum
Ni crimen obstet maximum;
Ipse vt niteres lucidus
Inter beatos Martyres,
Fundens cruorem proprium
Cæli lucraris sydera.
At, CAIE, magne Dalmata,
Disponis ordinum gradus:
Per quos ab Hostiario ad
Episcopatum scanditur.
Et Cæsaris primò expauens
Crudelitatem, sanguine
Coniunti, in alto tu specu
Lates: sed inde prosilis.
Et Dux velut fortissimus
Pugnans aperto prælio
Cum fratre forti, Gloria
Dignam capessis Lauream.
Vos nunc, beati, assistite
CHRISTI ad tribunal arduum;
Nostrisq. pro piaculis
Mactate cordis victimas.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. GEORGIVM
Martyrem.

CAESARIS magne, & rutilans tribune,
Martyr ò CHRISTI, ac eques, ò GEORGI

Cappadox, Ostro radians, tremenda &
Cuspide pugnax;
Dum tuæ laudes resonant, adesto:
Atque opem nobis fer in omni acerbo
Prælio, seu nos Scytha trux, Arabsvè
Terreat armis.
Fauce seu nigri properans Auerni
Dæmon oppugnet, varijsq. tentet
Artibus nostras animas in illum
Ducere captas.
Nanque, ceu fama est, ope fretus eius
Qui vagas stellas moderatur, hasta
Ipse strauisti tumidum, ferumq.
Alme, Draconem.
Copijs qui tunc Libyæ per arua
Terror armatis erat. Ergo dignum
Pangimus Pæana tibi, sacrosq.
Dicimus hymnos.
Sic & immanem, patulaq. biantem
Fauce serpentem, superare da nos,
Qui trahens multas, rapiensq. stellas
Decidit æthra.
Victor vt tecum Michael triumphans
Nos iò Lauro virides perenni
Euehat cælum super, ante magni
Ora Tonantis.
Præstet hoc nobis Deitas beata. &c.

IN S. MARCVM Euangelistam.

PRAECONVM ex numero quattuor illius
Qui cælo veniens Tartara contudit,
Ipsum, MARCE, tua tu quoque buccina
Plena flamine concinis.
Nam quæcunque Petrus dixerat, audiens,
Hæc scriptis breuiter colligis; indeq.
Aegyptum peragras: & Pharon aduenis:
Atque vrbem subis inclytam;
Quam struxit vocitans nomine de suo
Pellæus iuuenis. Primus & hìc Dei
Christum progeniem, gaudiaq. ætheris
Lætus nuntius intonas.
Monstrorum varius cultor, & accola
Nili iam facilis se tua sub iuga
Mittit; iam facilis credit. Episcopus
Hinc tu tot populos doces.
Et tandem meritis splendidus ad Polos
Ascendis. Reboat pulsus at ex tuo
Rugitu horrisono Mundus: & aurea
Hoc Ecclesia personat.
Exultatq. tuo corpore maxima
Diuesq. vrbs Venetùm, dans Aquilonibus
Regem quadrupedum, qui nigra per freta
Alas explicat aureas.
Te summa Deitas, vnaq. poscimus. &c.

IN SS. CLETVM, ET Marcellinum Pontifices, & Martyres.

NEC maximos Ecclesiæ
Nunc principes tacebimus,
Petroq. CLETVM proximum:
MARCELLINVMQ. strennum
Quos magna Roma protulit,
Ingrata quamuis patria:
Ambosq. cinxit Laurea,
Martyrio clarificans.
Vt institutis optimis
Tu præfuisti Ecclesiæ
O CLETE, ad arces ætheris
Cruore tinctus euolas.
Vt terga vertit hostibus
Dux pulsus armato agmine;
Dolore sed mox percitus
Ad prælium reuertitur.
Interq. primos dimicans
Occumbit illic fortiter.
Terrore fractus haud secus
Tu vinceris Deum negans,
MARCELLINE, sed detonans
Mox in tyrannum, deuoues
Te letho: & vltrò interritus
Offers caput securibus.
Notamq. nigram sanguine

Tan-

Tandem sacrato diluis.
Imitator ò Petri inclyte,
Successor vt dignissimus:
Immobiles nos in fide
Manere sic concedite.
Cælosq. apertos scandere
Vobis, Patres, simillimos.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. VITALEM Martyrem.

TE prole clara, aut propria,
Celsaq. fortitudine
Miles, magis laudabimus,
VITALIS alte hinc, indeque?
Geruasium, Protasium
Tu bina cæli lumina
Gignis: parensq. bis optimis
Exempla præbes ardua:
Nam dum labantes Martyres
Tu roboras: & perferunt
Illi tuis hortatibus
Tormenta fortes aspera;
Comprenderis; sed non minus
Pugnans facis, quàm cæteros
Accenderas ad præmias
O voce fortis, & manu:
Tormenta qui post plurima
Fossa in profunda mergeris

Vt astra scandas: grandine
Te saxa crebra hic obruunt.
At non inultum. nam necis
Authör sacerdos impius
Correptus atro à Dæmone
Præceps in vndas mersus est.
Auris sic per te, poscimus,
Vescamur hic vitalibus.
Cælo vt viuamus perpetem
Vitam, VITALIS inclyte.

IN S. PETRVM Martyrem.


O PETRE Martyr inclyte,
Decus Veronæ, & gloria,
Tuiq. lampas ordinis
Tuos triumphos accipe.
Spinis vt è pungentibus
Rosa odorata pullulat.
Sic tu fidelis nasceris
Hæreticis parentibus.
Parentis ast alterius
Normam sequutus auream
Quæ pro fide certamina
Non suscipis, fortissime?
Nam Virgo semper continens,
Et mirus abstinentia
Oras, legisq. noctibus:
Diebus autem prædicas.

Hic,

Hic vellis ortas Hæreses.
Veramq. pœnitentiam,
Sanctamq. pacem seminas
Insomnis alme Agricola.
Sed cum fores aheneus
Hæreticorum malleus:
Hi,ceu latrones, in via
Mucronibus te vulnerant.
Pectus,caputq. saucius
Desideratam sanguinis
Palmam beatus obtines
Tendisq. ad astra purpurans.
O CHRISTI Athleta nobilis,
Ipsum roga vt nunc milites
Mittat tibi simillimos
Qui deleant has hæreses.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

APRILIS

FINIS.



MAIVS.



IN SS. PHILIPPVM, ET Iacobum Apostolos.

MAII Calendis floridis
Apostolorum gloriam,
Et duplicem victoriam
CHRISTO canamus principi.
Nam tu, PHILIPPE, gentibus
Qui Dominum monstraueras,
Illo reuerso ad sydera
Contendis aspros ad Scythas.
Phrygasq. victor aduenis:
Cunctisq. CHRISTVM prædicas.
Hicq. eleuaris in Cruce,
Iactisq. saxis tunderis.

Sca-

Scalaq. ab iſta in æthera
Scandis, Magiſtri vt æmulus.
Qui te cruento è prelio
Clarum reuinxit Laurea.
At tu, IACOBE, Epiſcope
Hieruſalem ſanctiſſime,
Vini, atque carnis abſtinens
Vt veſte, mente candidus:
Præceps velut demitteris
Pinna è ſuprema, corpore;
Proq. hoſtibus Deum rogans
Fractis iaces hic cruribus.
Sic aſtra tendis ſpiritu
Sublimis, atque amplecteris
A fratre, Rege Gloriæ;
Cuius eras ſimillimus.
Vos Laureati Apoſtoli
Exempla nos hæc inſequi
Date, atque anhelos tendere
Celſæ ad coronam gloriæ.
Te nunc Redemptor quæſumus. &c.

IN S. ATHANASIVM Pontif. & Confeſſ.

LAETA pangat alma laudes
Nunc tuas Eccleſia,
ATHANASI vir ſupremis
Comparande Apoſtolis,

Quo

Quo superbit vrbs Canopi
Ciue magno, & præsule.
Dum fidem nostram tueris
Præliator strennuus,
Concitas in te furores
Sæuientes hostium,
Qui peroptant heu dolosis
Retibus te prendere.
Nam te adulterum, magumq.
Criminantur fraudibus.
Sed tuetur te superna,
Damnat atque hos veritas.
Exul inde iam pererras
Plura mundi tu loca.
Teq. rupe sex per annos
Magne, cælas concaua.
Amnis vndas fortè sulcans
Fallis hostem callidus.
Atque menses in sepulchro
Delitescis quattuor.
Lustra sic nouem gubernas
Sancte, CHRISTI Ecclesiam.
Nec fidelem turbo fallax
Arrianus expulit
Puppe stantem: tanta celsi est
Fortitudo pectoris.
O quod vnquam carmen æquet
Hanc tuam constantiam?
Nec celebribus nos scriptis
Edocere desinis.

A laboribus tot esses
Actus & si iugiter.
Hanc fidem nobis, paremq.
Tu da fortitudinem.
Atque nobis, ATHANASI,
Te, precamur, impetra,
Vt queamus immortales
Astra cæli scandere.
Gloria, & honor Deo
Vsquequo altissimo. &c

IN INVENTIONE S. Crucis.

ECCE iam nobis pretiosa dracma
Illa repperta est, sator ille qua nos
Summus ex Orci tenebris, ab ipsa
Morte redemit.
Gratias omnes referant ouantes.
Vt CRVCIS signo veniente ab astris
Vicit hoc hostes citus Imperator
Maximus ille;
Vrbis ad sacræ monumenta tendit
Mater: atque astans Helene supremo in
Monte, confringi simulacra Diuùm
Imperat vltrò.
Et fodi terras, quibus altius iam
Erutis, cernunt pariter iacentes
Treis cruces, scripti titulumq. honoris

In-

Inde reuulsum.
Nescij quæ nam foret ipsa Regis,
Admouent ægro simul has. at vna
Tacta iam morbum fugat, & salutem
Reddit amatam.
Inde vexillum quatiens Tonantis
Filio partem tulit; atque partem
Deferens illic, decorauit alti
Munere Templi.
Nunc, aue, signum, rutilans cruore
Regis æterni, Furiasq. pelle
Teq. victores vtinam sequentes
Astra petamus.
Sit salus illi decus, atque virtus. &c.

IN SS. ALEXANDRVM, Euentium, Theodulum, & Iuuenalem, Martyres.

NVNC & canamus duplicatis vocibus
Alexandrumq. Episcopum ter maximum:
Theodulumque, Euentiumq. Martyres;
Et Narniensem Iuuenalem præsulem.
Euexit vna quos dies ad sydera
Diuersa quamuis sors, locusq. emiserit.
Nanque Alexander patria Roma inclytus
Suscepit vt sacram Tiaram Pontifex;
Vertit iuuentute ex Latina plurimos
Ad astra; & vt panem Sacerdos offerat
Al-

Altari, vt olim protulit Melchisedech,
Præcepit, atque vini odoras guttulas.
Cui lympha misceretur in mysterium
Vndæ, & cruoris, quæ suo de pectore
Nos abluens profudit, atque redimens
Aeternus ille Rex, & author omnium.
Tandem Theodulo fultus, atque Euentio,
His cum bipenni colla subdit fortiter.
Sic tres volarunt ad superna gaudia
Ostro corusci, & Laureis cælestibus.
At Iuuenalis Narniæ iam præsidens
Vita beata illustris, & miraculis,
In pace tandem dormiens, ad præmia
Cæli tetendit, ad coronam gloriæ.
Nunc te, beate Pontifex, vos Martyres,
Confessor alme, te simulq. poscimus:
Iuuate vestris nos orationibus:
Chorosq. ad altos cælitum perducite.
Sit Trinitati sempiterna gloria. &c.

IN S. MONICAM
Viduam.

DE proprijs virtutibus,
An ob celebrem Filium
Laudabimus te, MONICA,
Materq. felicissima?
Cuius fuère tàm piæ
Ac tàm potentes lachrymæ,

Vt flecterent Altissimum,
Vt corda Nati tangeret,
Qui, petra ceu durissima
Virga oris alti Insubriæ
Doctissimiq. Præsulis
Tactus, Deiq dextera,
Doctrinæ, & Eloquentiæ
Miranda fudit flumina.
Quibus parens Ecclesia
Latè irrigatur perpetim.
Tibiq. læta gratias
Cantans agit, quod maximis
In prælijs talem sibi
Ducem virago dederis.
Quem bis gignis; Nam corpore
Illum paris: dehinc Spiritu
Deo; laboris & tibi
Merces duplex nunc redditur.
Nanque ipsa felix aspicis
Illum coruscum gloria
Doctores inter maximos,
Et maximos Antistites.
Innixa tali germini
Tu funde pro nobis preces
Mater beata ad Filium
Dei, & parentem Virginem.
Deo Patri sit gloria,
Eiusq. soli Filio,
Cum spiritu Paraclito
In sempiterna secula. Amen.

IN S. IOHANNEM
ante portam Latinam.

DONAMVS hac te Laurea
Athleta victor inclyte,
Cui nullus æquari auferit
Olympico certamine.
Bullit oliuo feruido
Ingens ahenum; iam furit
Ignis: nitentes vnguine
Et nudus vndas insilis?
Sed flamma cessit, & liquor
Tantum modo vnxit æstuans
Artus verentes lædere
Virginitate fulgidos.
Spectante Roma protinus,
Stupente & ad miraculum
Illæsus, vnctus exilis
Moturus inde vt brachia.
Talem decebat egredi
Qui iam palæstra nobili
Victurus esset Dæmonas,
Et subditurus Asiam.
Tu nunc, IOHANNES, omnibus
Virtutibus præeminens,
Dilecte CHRISTO Apostole,
Fili relicte Virgini,
Nos huius æstu sæculi,
Carnisq. flammis eripe.

Et nobiles victorijs
Ad astra duc fulgentia.
Te nunc Redemptor quæsumus.&c.

IN APPARITIONE S.Michaelis Archangeli.

QVANDO nos cælo properans reuisis
Sæpe,tu,Dux militiæ supernæ,
Nec sacras terris, MICHAEL, abborres
Figere plantas;
Salue,& hùc alas quatiens,obaudi
Quos tibi læti modulamur hymnos
Hoc die,quo tu celebris refulsti in
Vertice montis.
Nanque spelunca nimium profunda
Fronte Gargani residente celsa
Tauro ab erranti volucrem retorquens
Ipse sagittam.
Atque per somnos faciens Syponti
Præsulem certum; tibi dedicari
Poscis hanc rupem, tibi nanque dudum
Esse sacratam.
Prælium Regi superùm cientem
Acriter pugnans,Dominoq. fidus
Ipse deturbas radiante cæli
Arce Draconem.
Tu Deo sacros populos tueris:
Te tremit Pluto,tremit Orcus ater:
Cuius à vinclis animas,precamur,

Erue

Erue nostras.
Vt tuum signum radians secutæ
Regis æterni celebrent, tuosq.
Signifer cæli superùmq. Princeps
Alme, triumphos.
Cælitum tu Rex, genitorq. Regis,
Flamen & sanctum decus Angelorum
Inter hos hymnos tibi nos perennes
Pangere dona. Amen.

IN S. GREGORIVM
Theologum, Episcopum, & Confessorem.

QVOD tuas laudes modò carmen æquet
GREGORI excelso celebrande cantu;
Ciue quo sese Nazianzos, atque
Præsule iactat?
Qualis à terris petit alta nubes
Illa regnatrix auium, sacrosq.
Aspicit Solis radios, eoq.
Lumine gaudet.
Talis arreptus geminis vt alis
Tu Deum spectas penetrans Olympum;
Deq. eo vt, fas est, superisq. rebus
Ardua tractas.
Cum tonas verbis numero solutis,
Cedit Arpinum: celebrantq. Athenæ.
Pangis at carmen: tibi Cæa Lauros,

Smyrnæq. donant.
Pungis hoc nostras animas. at illis
Eloquens, tersus benefacta laudas;
Edoces, mordes, volitasq. circum
Sydera semper.
Sæpe liuori, titulisq. cedens
Respuis Mitras: tumidumq. in vris
Hostem, & infamas ferus; hæresesq.
Vndique pellis.
O decus Graiùm, columenq. nostrum,
Candidæ ò vitæ speculum coruscans
Integer Virgo, fideiq. CHRISTI
Turris ahena.
Hæreses pellas prece nunc vagantes;
Nosq. & ex harum nitidos, & omni
Labe carnali, dociles ad Aethræ
Euehe sedes.
Sit salus illi decus, atque virtus. &c.

IN SS. GORDIANVM, & Epimachum Martyres.

IVDEX Dei sanctissime,
Qui veritati obtemperans
Falsos relinquis Dæmonas,
Veroq. adhæres Domino;
Palmam tuæ sententiæ,
Istos & hymnos accipe:
In vincla quando conijcis

Te,

Te, quæ manebant Martyrem.
Te nanque Ianuarius
Damnandus abs te Presbyter
Ex aspro iniquo iudice
Reum beatum reddidit.
Trahens domum cum coniuge
Tum fonte sacro tingeris.
Hæc mox Tyrannus audiens
Illum relegat exulem.
Te coniįcitq. in carcerem.
Exin catenis obrutum
Diuerberari plumbeis
Massis cruentus imperat.
Caputq. truncans, proįcit
Cadauer. At reconderis
In ipsa crypta Epimachus
Qua dormiebat inclytus.
Qui vincla passus iam diu
Vrbe in Canopo, pro fide
Christi per ignem denique
Purgatus astra ascenderat.
Vos nunc, beati, quos idem
Iunxit sepulcrum, sorteq.
Sedes in æthra: ad Dominum
Preces pro nobis iungite.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN SS. NEREVM, Archilleum, & Pancratium Martyres.

EN nunc beati Martyres
NEREE, & alme ARCHILEE:
Puerq. fortis PANCRATI
Trophæa vestra pangimus.
Idem dies, idem genus
Lethi, Polo vos intulit
Diuersa quamuis soluerit
Conditio, ætas, & locus.
Eunuchi enim castissimi
Fratres, in insula exules,
ARCHILEE, & tu NEREE
Cum Domitilla Flauia;
Cui panderatis æthera,
Post flagra, lamnasq. igneas
Dira securi denique
Percussa ad astra tenditis.
Cæliq. vobis ianuas
Aethereus tum clauiger
Qui fonte vos sacro abluit
Reclusit, ac Deo obtulit.
At luce eadem dimicans
Romæ puer tu, PANCRATI,
Annis bisseptem floridus
Virtute, præstans, & fide,
De Dæmone, ac de Præside

Hor-

Hortante matre, nobilem
Victoriam ceruicibus
Datis reportas fortiter.
Cæli corona fulgida
Cruenta vincti tempora
Nos fluctuantes, feruida
Vestra iuuate nunc prece.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. BONIFACIVM Martyrem.

TE fortem merito carmine concinat
Noster, Sancte Dei, nunc chorus, inclyte
Romane, ô maculam sanguine qui nigram
Fusô fortiter abluis.
Nam postquam fragilem te caro subdola
Decepit, peragras acriter ingemens
Terras: ac sepelis corpora Martyrum,
Figisq. oscula vinculis.
Hosq. ad martyrium feruidus incitas.
At Tarsi premeris captus ab impijs.
Hic ferro laniat te prius vngula:
Nudumq. vndique dissecat.
Interq. vnguiculos cuspis arundinis,
Et carnem teneram figitur; obstruit
Os plumbum liquidum: Vox agit attamen
Christo libera gratias.
Demisso capite hinc in pice feruidam
Ollam deijceris: sospes at exilis.

Tunc

Tunc Præſes tumidus, bileq. percitus
Heu ferro caput amputat.
Hoc tellus tremuit, vertit & ad fidem
Tunc plures animas. ſed tua condiunt
Vnguentis ſocij membra, & ad inclytæ
Romæ mœnia deferunt.
Aglae it properans obuia, lauerat
Quæ culpam lachrymis, docta id ab Angelo.
Sanctoq. vt celebri nobile dedicat
Templum, hìc oſſaq. condidit.
Vincamus meritis nos quoque crimina:
Tergamus maculas fletibus aſperis.
Tu nobis ſpeculum, maxime pœnitens,
Tu Dux ſydera præpara.
Te ſumma Deitas, vnaq. poſcimus. &c.

IN S. PVDENTIANAM Virginem.

ROMANA virgo nobilis
PVDENTIANA filia
Clari Pudentis, accipe
Hymnum, tibi quem pangimus.
Quid ni canamus, vendita
Si re, ſororis æmula,
Orationi iugiter
Vacans, alis tot pauperes?
Si Chriſtianis, & Pio
Fuit pauenti præſuli
Aſylus, & templum ſacrum

Domus tua honestissima?
Nam Martha sicut altera
Domo tua tu suscipis
Christum micantem de Polo;
Stantem sacris altaribus.
Nec non sacerdotes alis
Ieiuna felix hospita
Per quam domus iam credula
Abluta sacro est flumine.
Exempla sancta hæc insequi
Nos fac, beata, poscimus:
Tuumq. sponsum, atque hospitem
Pro nobis ora iugiter.
Laus, honor, virtus, gloria, &c.

IN S. VRBANVM Papam, & Mart.

ROMANE, ciuis inclyte,
VRBANE magne Pontifex,
Olympi ab alto culmine
Spectans, obaudi hæc carmina.
Tu sanctitate præditus,
Scientiaq. fulgurans
Christi ad fidem quam plurimos
Perducis altos nobiles.
Quos inter & Tiburtius
Cum fratre erat, qui fulgidis
Palmis decori scanderant
Superna regna Martyres.

Iustusq. mandas vt bona
Quæ sunt tributa Ecclesiæ;
Cum vota sint fidelium
Clericos alant, vel pauperes.
Vtq. implicares denique
Sacræ Tiaræ Lauream,
Certamen haud tu rennuis;
At is cruentus ad Polos.
Tu,cui potestas est data
Tam larga,morti obnoxio,
In æthere indulgentiam
Nobis reis nunc impetra.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. ELEVTHERIVM Papam, & Marty.

ET te canamns, maxime
ELEVTHERI, nunc Pontifex;
Quem Græciæ Nicopolis
Lumen,decusq. protulit.
Qui frigidas Britannias
Ardore sancti Spiritus
Illuminas,& calfacis
Missis nouis Apostolis.
Hasq. orbe toto dissitas
Ecclesiæ tu corpori
Fidei reuincis vinculo;
Atque abluis baptismate.

San-

Sanctosq. honore maximo
Romam petentes accipis.
Hoc Irenæus indicat
Martyr corona fulgidus.
Tandem quieta Ecclesia
Crescente Christi iam fide
In pace tanta obdormiens
Hinc euolas ad sydera.
Tu solue nexus criminum.
Reisq. rumpens vincula
A seruitute Dæmonum
ELEVTHERI nos libera.
Te nunc Redemptor quæsumus.

IN S. IOHANNEM Papam, & Mart.

ROMANE, clare Pontifex,
Honor, decusq. Hetruriæ,
Audi IOHANNES, quas tibi
Laudes canoras psallimus.
Qua sanctitate præditus
Fueris, Deus miraculis
Ostendit ipse plurimis
Cum tenderes Bizantium.
Testatur id Corinthius
Te cornipes superbiens.
Cæcusq. per te qui iubar
Aspexit ad Byzantium.

Qua.

Quare Imperator procidens
Iussis tuis obtemperat.
Certamen ast hinc durius
Te suscipit, fortissime.
Nam Rex Gothorum perfidus
Abste notatus hæresi
Accersit heu te per dolos:
In carceremq. coniicit.
Squallore, & aspra inedia
Confectus ad cælestia
Hinc euolas conuiuia,
Queis epulantes insonant,
Pro veritate occumbere
Nos haud vereri, tu face.
Digni vt simus capessere
Ob hanc perenne præmium,
Te nunc Redemptor quæsumus, &c.

IN S. FELICEM Papam, & Mart.

NEC obruet silentium
Te magne Romæ Episcope,
FELIXq. re, tum nomine,
Romane fortitudine.
Cum tanto honore Martyres
Sis prosecutus, vt super
Sancta ossa eorum iusseris
Tu sacra agi solemnia;

Ascri-


Ascribi & horum cœtui
Sit corde toto postulas:
Vt Martyr almus denique
Polos ouans ascenderis.
Hic tu, sacerdos optime,
Felix in illa patria
Nobis quietem temporum,
Felicitatemq. impetra.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. PETRONILLAM Virginem.

O arboris clarissimæ
Propago, PETRI filia
O PETRONILLA, quas decet
Laudes benigna suscipe.
Te rara forma corporis
Ornarat extrà; at Spiritus
Virtutibus tot emicans
Formosiorem fecerat.
Aegrota at annos exigis.
Nec iam salutem contulit
Parens, opem qui cæteris
Tulit. tibi sic expedit.
Nam fama pulchritudinis
Claros procos exciuerat;
Qui te, tuisq. nuptijs
Instant potiri, & flagitant;
Sed rennuens tu, triduum

Depoſcis, vt deliberes.
Chriſtum rogabas interim
Ieiunijs, & lachrymis.
Seruaret ipſe vt candidam
Illi quam conſacraueras
Virginitatem; protinus
Qui te benignus audijt.
Nam pane plenam cælico
Suas ad almas nuptias
Septam choris te Virginum
Ad regna cæli ſubleuat.
Nunc ſponſa Chriſti fulgida
Ipſum precare, vt clauiger
Nobis pater migrantibus
Portas recludat ætheris.
Laus, honor, virtus, gloria,
Deo Patri, & Filio,
Sancto ſimul Paraclito,
In ſempiterna ſæcula.
Amen.

MAII FINIS



IVNIVS.



IN SS. PETRVM, Marcellinum, & Erasmum, Martyres,

VESTROS triumphos, gloriosi Martyres,
Petre, atque Marcelline, Erasmeq. optime,
Canamus altos, quos locis distantibus,
At ex eodem rettulistis principe.
Non Petre, carcer, sæua non te vincula
Præpediunt, quin exigas tu Dæmones:
CHRISTOq. gentem semper acquiras nouam,
Quam sacro, Marcelline, tingis flumine.
Hinc vos minæ, pugniq., nodi arctissimi
Excruciant, nudosq. carcer excipit,
Quem sparsa vitri fragmina asperauerant;

Famesq. torquet plena CHRISTI viscera.
Quid vos IESV à charitate diuidat?
Increscit ex his robur, & constantia.
Quare vtriusq. colla sæuus amputat
Ensis decorans vos perenni Laurea.
Campaniæ ast, Erasme præsul inclyte,
Plumbo, resina, & cera, oliuo, & sulphure
Perfusus artus, ac pice ardentissima,
Euadis inde, vt rore lotus, integer.
Vinctus catenis rursus is in carcerem;
At, ò beatum, soluit illas Angelus.
Sæui retorquent: ærea teq. induunt
Tunica tremenda, & igne multo candida.
At flamma non est ausa, Martyr, lædere
Artus sacratos. Victor ergo his prælijs
Tuos reuisens, ad fidem multos trahens
Palma, & coronis astra scandis fulgidus.
Vos qui perennem nunc quietem carpitis
Per claustra cæli iam metentes præmia
Nobis parem constantiam concedite,
Vt in Polo regnemus omne sæculum.
Sit Trinitati sempiterna gloria. &c.

IN SS. PRIMVM, & Felicianum Marty.

FRATRES canendi laudibus,
Quos sæua Mors haud abscidit
Feliciane, Primeq.,

Huc

Huc vos adesse, poscimus.
Haud dura vincla carceris
Vos terruerunt: eruit
Nam vos ab illis Angelus.
Prætoris haud immanitas.
Qui cum minis ac fraudibus
Immobilem resistere
Feliciane, & fortiter
CHRISTVM sequi te cerneret;
Affigit alto stipiti
Pedes, manusq. vinciens.
Hic triduumq. te sinit
Famem pati durissimam.
Id, Prime, doctus cælitus
Spectante fratre, plurima
Tormenta fers, & accipis
Plumbum liquescens gutture.
Duos Leones incitant
In vos theatro in maximo.
At procidentes mitibus
Hi blandiuntur gestibus.
Miraculo quo percita
Plebs multa Christo credidit.
At prætor ira exæstuans
Securi vtrumq. percutit.
Vos nunc habentes iam caput
Christum, decorum gloria,
Vt mystici eius corporis
Nos membra simus, poscite.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. BARNABAM Apoſtolum.

QVEIS te, Leuita Cyprie,
Apoſtole haud ignobilis,
Opumq. ſpretor, BARNABA,
Nunc efferemus laudibus?
Nam primus agro vendito
Ardens fide, pecuniam
Hanc ante ſacros tu pedes
Apoſtolorum proijcis.
Hinc pergis Antiochiam,
Chriſtumq. cunctis intonas.
Et iam fideles inſtruis
Sancto repletus ſpiritu.
Hieruſalem reuerteris,
Pauloq. iunctus principi
Moratus vnde veneras
Iter tenes ad Græciam.
Luſtrans, docenſq. hanc commoues
Ingentibus miraculis.
Queis hæc Iouem te credidit
Iam prompta thus incendere.
Effetq. Cyprus vt tuo
Occaſu, & ortu ſplendida,
Paulo relicto adlaberis.
Ad hanc, moranſq. prædicas.
Martyrq. clarus Laurea
Scandis Polos. ſic quæſumus

Ter-

Terrena fac nos temnere,
Patiq. pro cælestibus.
Te nunc Redemptor quæsumus
Vt ipsorum consortio. &c.

IN SS. BASILIDEM, CYRINVM, Naborem, & Nazarium, Martyres.

VESTROS triumphos pangimus
Verè Romani milites,
Basilides, ac Nazari,
Cyrine, Naborq. inclyti.
Vos Laureati apponite.
Aures benignas quæsumus.
Vobis enim victoriæ
Istæ dederunt sydera.
Haud præses, haud ergastulum
Teterrimum vos terruit.
Idòla sed contemnitis
Christumq. confitemini.
Oratis hìc; & cælitus
Lux vos corusca illuminat.
Custosq. cum quamplurimis
Hoc intuens, tum credidit.
Hinc euocatos ferreis
Exinde scorpionibus
Immobiles, ac strennuos
Vos impij excarnificant.

Stantesq. coram Cæsare
Falsis Deis illuditis.
Datisq. iam ceruicibus
Læti pro Christo occumbitis
Vos ferte nobis nunc opem,
Cum nos lacessit prælio
Mundus, caro ve, aut Inferus;
Vt post fruamur præmijs.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. ANTONIVM DE PADVA & Confessorem.

VT tuas laudes celebrare possit
Hic chorus gaudens, superis ab astris
Nunc faue ANTONI, veniensq. nostras
Accipe voces.
Africam tendis, cupiens cruorem
Fundere ob Christum, Siculas ad oras
Sed tulit ventus. peragras & inde
Itala regna.
Hic lates dudum meditans in antro,
Iugiterq. orans. nemus & relinquis
Cælitus doctus, reserasq. CHRISTI
Dogmata mundo.
Paginæ & sacræ penetras medullam
Magnus interpres, velutiq. missum
A Dei dextra ruis, intonasq.
Omnia fulgur.

Præ-

Prædicans nam tu, maculas, vt ignis,
Criminum purgas, animasq. tergis.
Nec minus factis, venerande, miris
Mille coruscas.
Alme Confeßor, pariterq. Martyr
Si Lusitanus genito superbit:
Italus, atque vrbs Pataui beato
Corpore gaudet.
Quæ tibi templum, niueas & aras
Ponit, & sacrum tumulum frequentat:
Et canens laudes tibi, gloriatur
Nomine tanto.
Sancte, tu nobis ades inuocatus:
Tu prece à nobis mala cuncta pelle,
Vt tibi grato memores agamus
Pectore grates.
Sit salus illi decus, atque virtus. &c.

IN S. BASILIVM MAgnum, Episcopum, & Confessorem.

OBRVIS laudes, superasq. carmen
Regis æterni, BASILI, minister,
Cappadox ardens, & imago sanctæ
Splendida vitæ.
Doctus à doctis rediens Athenis,
Et sequens sanctum socium, sacratas
Paginas plures relegis per annos

Cultor Eremi.
Hincq. digreſſus properas per vrbes
Prædicans Ponti; moderaris inde
Mazacam præſul, rutila decorus
Tempora Mitra.
Hic fores quantum ſuperis amicus
Senſit Auguſtus ſceleratus: hic te
Arrij expauit maculoſus hæres,
Fœdaq. turba.
Temperas normis monachos eremi
Incolas, tantum tibimet ſeuerus.
Lampas ò Graiùm, ſuperoq. manans
Nectare flumen.
Condidit ſenis Deus ipſe quicquid
Heſperis doctus reſeras, doceſque:
Inſtruis, pungis, Stygiasq. flammas
Pandis, & æthram.
Increpas, mulces, & amore Chriſti
Pectora inflammas, retrahisq. ſurſum;
Deſpicis mundum, volitansq. totus
Denique cæli es.
Fac vt exemplis, nitidisq. ſcriptis
Nunc tuis moti, venerande Magne,
Nos ſimul ſancti, pariterq. docti
Aſtra petamus.
Sit Deo trino decus, vnicoque,
Clara doctrinæ tribuens ſuis qui
Munera, æterno famulos ab illis
Lumine luſtrat.
Amen.

IN SS. VITVM, MOdestum, & Crescentiam Martyres.

SENES, virosq; maschula
Virtute, VITE, præteris,
Puer verende plurimis
Pœnisq. tum miraculis.
Vt lotus es baptismate,
Armatur in te Tartarus.
Et cum parente præsidem
Mittit, flagris qui te secent.
At te tuetur Angelus
Longinqua ducens in loca:
Nunquamq. alumnum deserunt
Modestus, & Crescentia.
Hic vincis ipsum Dæmona.
Dum Cæsaris de filia
Pellis. sed ille Cæsarem
Irritat in te fortius.
Plumbum liquescit, & nigra
Pix, & resina exæstuat.
Coniunctus ipse altoribus
Hoc flumen ardens insilis.
Vtque in camino flammeo
Hebræi Ephæbi, hic psallitis.
Mox è catasta ad æthera
Iam Laureati pergitis.
Sed, VITE, adhuc tu Dæmonas

Fugas aspectu corporis.
Rabies tibiq. obtemperat;
Nec corda viru conficit.
Discamus, almi Martyres,
Vobis pati Doctoribus
Pro Christo acerba fortiter,
Vt nos coronet gloria.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN SS. MARCVM, ET Marcellianum Mart.

FRATRES beati Martyres,
Marcelliane, & optime
Vos Marce, nunc laudabimus
Quos Roma claros protulit.
Nanque estis alto, & maximo
Dignissimi præconio
Cum vos acerbo fixerit
Iudex proteruus stipiti.
Claui hic pedes transfixerant:
Manusq. vincla strinxerat.
Deiq. amore immobiles
Auditis hic opprobria.
Iudex enim relinquere
Christum, sequiq. Dæmones.
Instabat, vt sæuissima
Tormenta iam remitteret.
Sed, viximus, vos inquitis,
Nunquam delitiosius.

Dies

Diesq. cunctos degere
Nos hac iuuaret in Cruce.
Noctem, diemq. hic integrum
Deum canendo absumitis.
Telis petiti denique
Efflatis almum spiritum.
Serui beati Domino
In morte iam simillimi,
Nobis, ob id gratissimi,
Pacate eum vos poscimus.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN SS. GERVASIVM, ET Protasium Marty.

FORTES gignuntur fortibus.
Nil ergo mirum, Laureas
Si poscitis. nam Martyras
Vos edidère Martyres.
Testatur hinc Insubria
Quæ pertulit Valeria
Mater. Rauenna sanguine
Vestri inde patris purpurat.
Hæreditatem maximam
Hanc filij haud degeneres
Capessitis vos alacres,
Totamq. rem diuenditis.
In pauperesq. effunditis.
Aegrè id tulit tunc Dæmonum

Cultor sacerdos, ac ferum
In vos tyrannum concitat.
Qui verberari tandiu
Te, magne Geruasi, imperat,
Quousq. fortis spiritus
Exiret alto è pectore.
Ac te, Protasi, fustibus
Contundi: & inde percuti
Collum securi. in nobili
Sic fratri agone iungeris.
Parentibus cum fulgidis
Vos nunc, triumphales Duces,
Vt nos, Deum precamini,
Cingat corona gloriæ.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. SILVERIVM PAPAM, & Martyrem.

Nec te decus Campaniæ
SYLVERI nunc tacebimus,
Christi sacer Vicarie,
Romæq. præsul optime.
Irata non te compulit
Augusta, vt acta scinderes
Sancta Agapeti, & in thronum
Hæreticum reponeres.
Non insula te Pontia
Qua degis exul, terruit.

Nè

Ne summus ipse Pontifex
Hoc fungereris munere.
Nam cogis hic Episcopos;
Ecclesiæq. consulis.
Confectus ast in commodis
Martyr potiris æthere.
Hic tu tua dignissima
Nos semper adiuua prece.
Offerq. Christo victimas
Pro Christianis omnibus.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. PAVLINVM EPISC. & Confessorem.

MIRA si toto celebrata mundo
Clarius fulgent tua facta Sole:
Teq. Doctores cecinère magni
Optime præsul;
Quomodo metris satis illa cantet
Hic chorus noster? celebrare versus
Te tui possent, quibus ille Felix
Notus in orbe est.
Regiam cæli, tribuens egenis
Cuncta, tu flagrans emis; vtq. matri
Filium captum redimas ab hoste
Tendis in Afros;
Prodigus, cum nil superesset: ac te,
Liberans illum, venerande, tradis;

Fa-

Facto & hoc magno imitaris illum
Sancte, Magistrum.
Qui pius dum nos modo liberaret
Hoste ab inferno, tenebrisq. Mortis
Tradidit sese, subijtq. prompto
Pectore pœnas.
Nec minus prosa, nitidoq. versu
Magnus Orator, melior Poeta
Tu micas. Quare tua scripta mille
Sæcula viuent.
Qui iuuas sic nos faciens, docensque,
Tu face vt nos Rex super astra ducat
Te per exempla hæc, tua perq. sancta
Scripta sequentes.
Sit salus illi decus, atque virtus. &c.

IN NATIVITATE B. IOHANNIS Baptistæ.

LAVDARE quid te possumus
Nos puluis, atque homunculi,
Si syderum te conditor
Tot extulit præconijs?
Lampas, IOHANNES, splendida,
Plusquam Propheta, & Angele
Prædicte, Regisq. omnium
Præcursor ardentissime.
In ventre clausum virginis
Natum Deo tu conspicis;

Cu-

Cubansq. in aluo protinus
Lætis salutas gestibus.
Cultorq. eremi squallidus,
Et pelle cinctus, indice
Ostendis Agnum, crimina
Qui cuncta mundi substulit.
Baptista tingis flumine
Nefas lauantem sæculi.
Nec natus est de fœmina
Te maior, aut sublimior.
Serto coruscas triplici
Verbi superni præuia
Vox, virgo, Martyr, ætheris
Flos purpurans, & Lilium.
Tu saxa nostri pectoris
Confringe, Sancte: & semitas
Tu tortuosas dirige:
Nostrasq. culpas ablue.
Ingressi vt æthræ ianuas
Cernamus hic te fulgere
Honoribus tot præditum
Heroas inter maximos.
Deo Patri sit gloria. &c.

IN SS. IOHANNEM, & Paulum, Mart.

O Rosæ cæli, geminæq. Oliuæ,
Aureæ ò binæ, & nitidæ lucernæ,

An-

Ante quæ statis Dominum coruscæ
Luce perenni;
PAVLE, & IOANNES, veneranda, fratres
Copula, æterno celebranda cantu,
Ad preces nostras, meritasq. laudes
Flectite lumen.
Terruit non vos minitans Tyrannus.
Perfidum ast ipsum, & Domino rebellem
Temnitis. Quare breuis ille ponit
Limina vitæ.
Interim vestris inopes repletis
Rebus, intenti precibus, Deoq.
Mox adest iudex simulacra Diuûm
Horrida portans.
Sed Deum Christum intrepidi fatentes
Colla vos ferro datis amputanda;
Ast humo cælat fugiens tumultus
Corpora miles.
Dumq. ab obsessis furit, hæc reuelat
Dæmon. accurrunt populi: micantq.
Mira, quæ per vos operatur ipse
Aetheris author.
Vos Duces tanto celebres triumpho
Dura pro Christo prece ferre vestra
Nos date, vt cincti subeamus & nos
Astra coronis.
Præstet hoc nobis Deitas beata. &c.

IN S. LEONEM PAPAM, & Confess.

ET te, clare LEO, maxime Pontifex,
Quem lingua excoluit Graia, latinaq.
Fulgor Trinatriæ, laudibus hic chorus
Nunc cœlum super efferat.
Nam per te modulis ardua musicis
Hymnis templa Dei dulcius intonant.
Ac pacis populus suscipit osculum
Spectans sacra perennia.
Tu sanctas synodos candidus approbas:
Ac donas latio. frangis & Hæreses.
Subdis Pontifices, quos ope principum
Terrenus fauor extulit.
Tu verè genitor charus egentium:
Protector viduis. Namq. pecunia,
Nunc, & consilijs, nuncq. laboribus
Illas sollicitus leuas.
Sed raptus psopero funere fulgurans
Ad stellis solium transilis. hic sedens
Summo à Rege Poli nunc, pie, gratias
Nobis, muneraq. impetra.
Te summa Deitas, vnaq. possimus. &c.

IN SS. PETRVM, ET Paulum Apostolos.

PRINCIPES mundi, geminiq. Soles,

Laudibus vestris modò vos adeste
Ianitor cœli venerande, & orbis
Inclyte Doctor.

PETRE piscator madidis relictis
Retibus, CHRISTVM sequeris, fideq.
Aestuans, firmus graderis per altas
Aequoris vndas.

Tu Dei natum Dominum fateris.
Vnde cælorum dedit ille claues:
Queis modò celsum referas, modoq.
Claudis Olympum.

Tu vices eius geris hic, ouesq.
Pascis, & Petra es stabilis, sub astra
Nixa qua surgit, Furiasq. magna Ec-
clesia temnit.

PAVLE, tu raptor Lupus antè, tactus
Cælitus, Pastor, subitoq. Doctor,
Vasq. fis lectum radians supernis
Vndiq. gemmis.

Atque facundus, rapidusq. tanquam
Fulgur occasum peragras, & ortum:
Vertis ad CHRISTVM populos, replesq. hoc
Nomine Mundum.


Roma vos iunxit, Nero sed peremit
Crux neci PETRVM dedit, atque PAVLO
Ensis obtruncat caput, ò beata
Morte reuincti.

Vos dies cœlis eadem locauit.
Vtq. erat par, vos fidei parentes
Imperi sedes gremio recondit

Aurea

Aurea Roma.
Iubilat Mundi caput, & superbit
Ossibus vestris mage, quàm triumphos
Iactat antiquos, & ob id patenti
Imperat orbi.
Cœlitus nos hic pariter docete,
Hincq. cum stellas animæ petemus,
Ianuas nobis faciles, precamur,
Pandite cœli.
Sit Patri summo decus, atque Nato
Qui suis in discipulis refulget,
Cum sibi æquali, ac vtriusq. sancto
Flamine semper.

IVNII, HYMNORVMQ.
LIBRI PRIMI FINIS.



IVLIVS MVTII SFORTIAE HYMNORVM

Liber Secundus.

AD SANCTISS. D. N. CLEMENTEM VIII. PONT. MAX.

I·V·L·I·V·S.

IN VISITATIONE B. Mariæ.

IAM parens [illegible] o sterilem parentem
Visitat [illegible] & anus prophetat:
C[illegible] borus ergo noster
[illegible]na pangat.

Vt Dei prolem, superumq. Regem
Dia concepit genitrix, volutans
Nuntij excelsi memoranda dicta
Impigra surgit.

Pergit ad montes, grauidamq. læta
Visit affinem: simul & salutat
Gratulans; plena hanc, humilisq. honorat
Obuia vates,

Et vocat matrem Domini repentè,
Audiens illam genitricis aluo
Tunc Iohannes micat, atque Regem
Pronus adorat.

Virgini hoc narrat pia mater illa
Gaudijs tantis, & honore fulta,
Gratias magnas referens, Tonantem
Carmine laudat.

Si tuum nostro melos ore tinnit
Dulciter: dulci comitata nato
Sæpè tu, virgo, famulos reuisas,
Poscimus omnes.

Vt tuo aduentu modo iubilemus:
Spiritu hinc pleni super astra ducti
Ore te fixo simul audiamus
Dulce loquentem.

Te Deus simplex, pariterq. trine,
Alma collaudet genitrix, chorusq.
Cælitum plaudens canat, ac vterque
Mundus adoret.

IN SS. PROCESSVM, ET Martinianum Martyres.

NEC vos, sacrati milites,
Nouis micantes Laureis
Martiniane, & optime
Processe, nunc silebimus.
O ter beati, & amplius,
Apostoli, vos, Principes
Quos detinebat vinculis,
Tarpeia tunc custodia
Tinxère fonte cælitus
Orto cauato è pumice;
Ad astra & hos præcurritis
Credentibus cum plurimis.
Præfecte, quid saxo, impie,
Tundi ora, densesq. imperas?
Adure lamnis corpora:
Contunde membra fustibus.
Nunquam coletur Iuppiter.
At vos, securi, Martyres,
Truncati Olympum tendite
Securi, & imperterriti.
Vestris magistris inclytis
Iuncti, à magistro maximo
Nobis coronis fulgidi
Eia impetrate gratias.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN SEPTEM FRATRES Martyres.

SEPTEM modò victorias
Quas rettulère Martyres,
Quos edidit Felicitas,
Iunctis canamus vocibus.
Vos Machabæos inclytos
Aequastis, almi, illustribus
Factis, ferendo fortiter
Tormenta pro CHRISTI fide.
Namq. vt, videns immobiles
Vos Præses, ad pœnas ruit.
Hortante matre multiplex
Lethi subitis vos genus.
Te Ianuari, verberant
Plumbata dira; fustibus
Sed mox Philippus asperis,
Felixq. pulsi concidunt.
Syluane, præceps mitteris.
At Martialis optime,
Cum cæteris tu fratribus
Das colla ferro interritus.
Sed mater alma, ad prælium
Quæ ceu tuba inflammaueras
Tu filios; hinc fortiter
Occumbis ipsa dimicans.
Quæ te beat felicitas.
FELICITAS, cùm laureis

Septem decoros filios
Calcare cernis sydera?
Hac fulta prole poscimus
CHRISTI ad tribunal aureum
Accede: & incessabili
Nobis prece vna flectite.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN SS. RVFFINAM, ET SECVNdam Virg. & Martyres.

VOS Virgines, at Martyres
Claræ Sorores, pangimus,
Ruffina, & Secunda inclytæ,
Romaq. dignæ patria.
Sponsis enim mortalibus
Vos iam repulsis propalàm
Regi supernæ Gloriæ
Vos esse pactas dicitis.
Quare Tyrannus alligat.
Hinc nascitur pulcherrimum
Certamen; vna cæditur.
Patiq. id optat altera.
Detrudit ergo in carcerem
Ambas tenebris obsitum.
At lux supernè illuminat;
Impletq. odore hunc fulgurans.
Prunis solo candentibus
Strato volutat carnifex.
Illæsæ at hinc consurgitis.

Deoq.

Deoq. agentes gratias.
Saxum Tybri submerserat.
Volans Olympo ast Angelus
A fluctibus vos eripit:
Ripaq. ponit sospites.
Tunc Vrbis extra mœnia
Caput securis amputat.
Palma decoræ duplici
Sic astra cæli scanditis.
Hic vos, beatæ Virgines,
Stolis amictæ candidis
Offerte pro nobis preces
Summi Parentis Filio.
Laus honos, virtus, Gloria. &c.

IN S. PIVM, PAPAM, & Martyrem.

O' Aquileiæ Gloria,
Romane præsul inclyte,
Cùm concitarit cælica
Pietas, ades dum, poscimus.
Verè pius tu sanguinem
Nostræ salutis pretium
Qui fluxit almo è pectore
Sic corde adoras supplici.
Vt fulmina aspra senserit
Abste Sacerdos negligens;
Si gutta ab illo decidens
Altare, humumpè tinxerit.

Sicq.

Sicq. hoc sacro, & dulcissimo es
Inebriatus sanguine;
Pro CHRISTO vt inde effundere
Iam sanguinem te iuuerit.
Per te cruor salutifer
Agni Dei nos abluat.
Vt astra cœli candidi
Ab hoc, queamus ingredi.
Te nunc Redemptor quæsumus: &c.

IN S. ANACLETVM PAPAM, & Martyrem.

ATHENIENSIS inclyte,
Præclare Martyr; Pontifex
ô Anaclete, maxime,
Tuis adesto laudibus.
Multum fatetur se tibi
Debere CHRISTI Ecclesia.
Nanque hanc doces, & instruis
Ipse institutis optimis.
Fatentur hoc Episcopi;
Idem fatentur Clerici;
Nanq. imperas tu quomodo
Ipsi ordinari debeant:
Fatetur & communicans
Post sacra, plebs, solennia.
Debet Petrusq. ab æthere,
Cuius perornas tumulum.

Vt lauream q. debeat
CHRISTVS tibi: ceruicibus
Datis, beate, fortiter
Pulcher cruore hinc euolas.
Assiste, magne Pontifex,
Pontifici Pontificum:
Absoluat omni vt crimine
Quos ante sanguine abluit.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. BONAVENTVRAM Pont. & Confesso.

HVC ades, frontem redimite sacra
Purpura, aut inter Seraphim, Magistro
Proximus: seu per Cherubim vagaris
Agmina docta;
Sancte, cui nomen Bona Sors; & audi
Quas tibi laudes chorus hic celebrat:
Patriæ ô Thuscæ decus, ordinisq.
Altera lampas.
Matris vt voto iuga tu subisti
Ordinis sacri, peragrans per vrbes
Galliæ, intenta bibis aure clari
Dicta magistri:
Hinc breui exundans alijs propinas
Hauseras quæ iam; pariterq. scribis
Docta quæ condit pietas, salisq.
Copia sacri.

Ingeni

Facto & hoc magno imitaris illum
Sancte, Magistrum.
Qui pius dum nos modo liberaret
Hoste ab inferno, tenebrisq. Mortis
Tradidit sese, subijtq. prompto
Pectore pœnas.
Nec minus prosa, nitidoq. versu
Magnus Orator, melior Poeta
Tu micas. Quare tua scripta mille
Sæcula viuent.
Qui iuuas sic nos faciens, docensque,
Tu face vt nos Rex super astra ducat
Te per exempla hæc, tua perq. sancta
Scripta sequentes.
Sit salus illi decus, atque virtus. &c.

IN NATIVITATE B. IOHANNIS Baptistæ.

LAVDARE quid te possumus
Nos puluis, atque homunculi,
Si syderum te conditor
Tot extulit præconijs?
Lampas, IOHANNES, splendida,
Plusquam Propheta, & Angele
Prædicte, Regisq. omnium
Præcursor ardentissime.
In ventre clausum virginis
Natum Deo tu conspicis;

Cu-

Cubansq. in aluo protinus
Lætis salutas gestibus.
Cultorq. eremi squallidus,
Et pelle cinctus, indice
Ostendis Agnum, crimina
Qui cuncta mundi substulit.
Baptista tingis flumine
Nefas lauantem sæculi.
Nec natus est de fœmina
Te maior, aut sublimior.
Serto coruscas triplici
Verbi superni præuia
Vox, virgo, Martyr, ætheris
Flos purpurans, & Lilium.
Tu saxa nostri pectoris
Confringe, Sancte: & semitas
Tu tortuosas dirige:
Nostrasq. culpas ablue.
Ingressi vt æthræ ianuas
Cernamus hic te fulgere
Honoribus tot præditum
Heroas inter maximos.
Deo Patri sit gloria. &c.

IN SS. IOHANNEM, & Paulum, Mart.

O Rosæ cæli, geminæq. Oliuæ,
Aureæ ò binæ, & nitidæ lucernæ,

An-

Ante quæ statis Dominum coruscæ
Luce pereuni;
PAVLE,& IOANNES, veneranda, fratres
Copula,æterno celebranda cantu,
Ad preces nostras, meritasq. laudes
Flectite lumen.
Terruit non vos minitans Tyrannus.
Perfidum ast ipsum, & Domino rebellem
Temnitis. Quare breuis ille ponit
Limina vitæ.
Interim vestris inopes repletis
Rebus,intenti precibus,Deoq.
Mox adest iudex simulacra Diuûm
Horrida portans.
Sed Deum Christum intrepidi fatentes
Colla vos ferro datis amputanda;
Ast humo celat fugiens tumultus
Corpora miles.
Dumq. ab obsessis furit, hæc reuelat
Dæmon. accurrunt populi: micantq.
Mira, quæ per vos operatur ipse
Aetheris author.
Vos Duces tanto celebres triumpho
Dura pro Christo prece ferre vestra
Nos date,vt cincti subeamus & nos
Astra coronis.
Præstet hoc nobis Deitas beata.&c.

IN S. LEONEM PAPAM, & Confeff.

ET te, clare LEO, maxime Pontifex,
Quem lingua excoluit Graia, latinaq.
Fulgor Trinatriæ, laudibus hic chorus
Nunc cœlum ſuper efferat.
Nam per te modulis ardua muſicis
Hymnis templa Dei dulcius intonant.
Ac pacis populus ſuſcipit oſculum
Spectans ſacra perennia.
Tu ſanctas ſynodos candidus approbas:
Ac donas latio. frangis & Hæreſes.
Subdis Pontifices, quos ope principum
Terrenus fauor extulit.
Tu verè genitor charus egentium:
Protector viduis. Namq. pecunia,
Nunc, & conſilijs, nuncq. laboribus
Illas ſollicitus leuas.
Sed raptus pſopero funere fulgurans
Ad ſtellis ſolium tranſilis. hic ſedens
Summo à Rege Poli nunc, pie, gratias
Nobis, muneraq. impetra.
Te ſumma Deitas, vnaq. poſſimus. &c.

IN SS. PETRVM, ET Paulum Apoſtolos.

PRINCIPES mundi, geminiq. Soles,

Laudibus vestris modò vos adeste
Ianitor cœli venerande, & orbis
Inclyte Doctor.
PETRE piscator madidis relictis
Retibus, CHRISTVM sequeris, fideq.
Aestuans, firmus graderis per altas
Aequoris vndas.
Tu Dei natum Dominum fateris.
Vnde cælorum dedit ille claues:
Queis modò celsum reseras, modoq.
Claudis Olympum.
Tu vices eius geris hic, ouesq.
Pascis, & Petra es stabilis, sub astra
Nixa qua surgit, Furiasq. magna Ec-
clesia temnit.
PAVLE, tu raptor Lupus antè, tactus
Cælitus, Pastor, subitoq. Doctor,
Vasq. fis lectum radians supernis
Vndiq. gemmis.
Atque facundus, rapidusq. tanquam
Fulgur occasum peragras, & ortum:
Vertis ad CHRISTVM populos, replesq. hoc
Nomine Mundum.
Roma vos iunxit, Nero sed peremit
Crux neci PETRVM dedit, atque PAVLO
Ensis obtruncat caput, ò beata
Morte reuincti.
Vos dies cœlis eadem locauit.
Vtq. erat par, vos fidei parentes
Imperi sedes gremio recondit

Aurea

Aurea Roma,
Iubilat Mundi caput, & superbit
Ossibus vestris mage, quàm triumphos
Iactat antiquos, & ob id patenti
Imperat orbi.
Cœlitus nos hic pariter docete.
Hincq. cum stellas animæ petemus,
Ianuas nobis faciles, precamur,
Pandite cœli.
Sit Patri summo decus, atque Nato
Qui suis in discipulis refulget,
Cum sibi æquali, ac vtriusq. sancto
Flamine semper.

IVNII, HYMNORVMQ. LIBRI PRIMI FINIS.



MVTII SFORTIAE HYMNORVM

Liber Secundus.

AD SANCTISS. D. N. CLEMENTEM VIII. PONT. MAX.

IVLIVS.



IN VISITATIONE B. Mariæ.

I*AM parens virgo sterilem parentem*
Visitat: gaudens & anus prophetat:
Concinit virgo; chorus ergo noster
Carmina pangat.

Vt Dei prolem, superumq. Regem
Dia concepit genitrix, volutans
Nuntij excelsi memoranda dicta
Impigra surgit.
Pergit ad montes, grauidamq. læta
Visit affinem: simul & salutat
Gratulans; plena hanc, humilisq. honorat
Obuia vates,
Et vocat matrem Domini, repentè.
Audiens illam genitricis aluo
Tunc Iohannes micat, atque Regem
Pronus adorat.
Virgini hoc narrat pia mater illa
Gaudijs tantis, & honore fulta
Gratias magnas referens, Tonantem
Carmine laudat.
Si tuum nostro melos ore tinnit
Dulciter: dulci comitata nato
Sæpè tu, virgo, famulos reuisas,
Poscimus omnes.
Vt tuo aduentu modo iubilemus:
Spiritu hinc pleni super astra ducti
Ore te fixo simul audiamus
Dulce loquentem.
Te Deus simplex, pariterq. trine,
Alma collaudet genitrix, chorusq.
Cælitum plaudens canat, ac vterque
Mundus adoret.

IN SS. PROCESSVM, ET Martinianum Martyres.

NEC vos, sacrati milites,
Nouis micantes Laureis
Martiniane, & optime
Processe, nunc silebimus.
O ter beati, & amplius,
Apostoli, vos, Principes
Quos detinebat vinculis,
Tarpeia tunc custodia
Tinxère fonte cælitus
Orto cauato è pumice;
Ad astra & hos præcurritis
Credentibus cum plurimis.
Præfecte, quid saxo, impie,
Tundi ora, densesq. imperas?
Adure lamnis corpora:
Contunde membra fustibus.
Nunquam coletur Iuppiter.
At vos, securi, Martyres,
Truncati Olympum tendite
Securi, & imperterriti.
Vestris magistris inclytis
Iuncti, à magistro maximo
Nobis coronis fulgidi
Eia impetrate gratias.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN SEPTEM FRATRES Martyres.

SEPTEM modò victorias
Quas rettulère Martyres,
Quos edidit Felicitas,
Iunctis canamus vocibus.
Vos Machabæos inclytos
Aequastis, almi, illustribus
Factis, ferendo fortiter
Tormenta pro CHRISTI fide.
Namq. vt, videns immobiles
Vos Præses, ad pœnas ruit.
Hortante matre multiplex
Lethi subitis vos genus.
Te Ianuari, verberant
Plumbata dira; fustibus
Sed mox Philippus asperis,
Felixq. pulsi concidunt.
Syluane, præceps mitteris.
At Martialis optime,
Cum cæteris tu fratribus
Das colla ferro interritus.
Sed mater alma, ad prælium
Quæ ceu tuba inflammaueras
Tu filios; hinc fortiter
Occumbis ipsa dimicans.
Quæ te beat felicitas.
FELICITAS, cùm laureis

Septem decoros filios
Calcare cernis sydera?
Hac fulta prole poscimus
CHRISTI ad tribunal aureum
Accede: & incessabili
Nobis prece vna flectite.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN SS. RVFFINAM, ET SECVNdam Virg. & Martyres.

VOS Virgines, ac Martyres
Claræ Sorores, pangimus,
Ruffina, & Secunda; inclytæ,
Romaq. dignæ patria.
Sponsis enim mortalibus
Vos iam repulsis propalàm
Regi supernæ Gloriæ
Vos esse pactas dicitis.
Quare Tyrannus alligat.
Hinc nascitur pulcherrimum
Certamen; vna exdiuit.
Patiq. id optat altera.
Detrudit ergo in carcerem
Ambas tenebris obsitum.
At lux supernè illuminat;
Impletq. odore hunc fulgurans.
Prunis solo candentibus
Srato volutat carnifex.
Illæsæ at hinc consurgitis.

Deoq.

Deoq. agentes gratias.
Saxum Tybri submerserat.
Volans Olympo ast Angelus
A fluctibus vos eripit:
Ripaq. ponit sospites.
Tunc Vrbis extrà mœnia
Caput securis amputat.
Palma decoræ duplici
Sic astra cæli scanditis.
Hic vos, beatæ Virgines,
Stolis amictæ candidis
Offerte pro nobis preces
Summi Parentis Filio.
Laus honos, virtus, Gloria. &c.

IN S. PIVM, PAPAM, & Martyrem.

O' Aquileiæ Gloria,
Romane præsul inclyte,
Cùm concitarit cælica
Pietas, ades dum, poscimus.
Verè pius tu sanguinem
Nostræ salutis pretium
Qui fluxit almo è pectore
Sic corde adoras supplici.
Vt fulmina aspra senserit
Abste Sacerdos negligens;
Si gutta ab illo decidens
Altare, humumpè tinxerit.

Sicq.

Sicq. hoc sacro, & dulcissimo es
Inebriatus sanguine;
Pro CHRISTO vt inde effundere
Iam sanguinem te iuuerit.
Per te cruor salutifer
Agni Dei nos abluat.
Vt astra cœli candidi
Ab hoc, queamus ingredi.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. ANACLETVM PAPAM, & Martyrem.

ATHENIENSIS inclyte,
Præclare Martyr, Pontifex
ô Anaclete, maxime,
Tuis adesto laudibus.
Multum fatetur se tibi
Debere CHRISTI Ecclesia.
Nanque hanc doces, & instruis
Ipse institutis optimis.
Fatentur hoc Episcopi;
Idem fatentur Clerici.
Nanq. imperas tu quomodo
Ipsi ordinari debeant.
Fatetur & communicans
Post sacra, plebs, solennia.
Debet Petrusq. ab æthere,
Cuius perornas tumulum.

Vt laureamq. debeat
CHRISTVS tibi: ceruicibus
Datis, beate, fortiter
Pulcher cruore hinc euolas.
Assiste, magne Pontifex,
Pontifici Pontificum:
Absoluat omni vt crimine
Quos ante sanguine abluit.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. BONAVENTVRAM Pont. & Confesso.

HVC ades, frontem redimite sacra
Purpura, aut inter Seraphim, Magistro
Proximus: seu per Cherubim vagaris
Agmina docta;
Sancte, cui nomen Bona Sors; & audi
Quas tibi laudes chorus hic celebrat:
Patriæ ò Thuscæ decus, ordinisq.
Altera lampas.
Matris vi voto iuga tu subisti
Ordinis sacri, peragrans per vrbes
Galliæ, intenta bibis aure clari
Dicta magistri.
Hinc breui exundans aliis propinas
Hauseras quæ iam; pariterq. scribis
Docta quæ condit pietas, salisq.
Copia saeri.

Ingeni

Ingeni has dotes, mitidæq. vitæ
Intuens lumen, meritò reuinxit
Pontifex Mitrâ, & decorauit ostro
Tempora digna.
Vnus & cunctos regis ipse fratres.
Cumq. te Sanctum pia plebs vocaret,
Militans CHRISTO medio è tumultu
Sydera scandis.
Hic doces libris, animasq. pascis,
In Polo at iunctus roseo parenti
Funde pro nobis lacbrymas, precesq.
Ante Tonantem.
Sit salus illi decus, atque virtus. &c.

IN S. ALEXIVM CONfessorem.

TE castitate fulgidum
Contemptor huius sæculi,
CHRISTIQ. amator feruide,
Mirande ALEXI, pangimus.
Nam quis chorus non concinat
Laudes tuas dignissimas?
Romane, si tu nobilis,
Atque vnicus parentibus
Sponsa relicta, & nuptijs
Toto orbe virgo incognitus,
Annos vagaris plurimos?
Locosq. sacros visitas?

Et sic abhorres gloriam:
Dei vt parentis proditus
Inter Syros oraculo
Hinc auolares nauigans.
Sed ventus Ostiæ appulit,
Lustris peractis sic tribus.
Ergo parentis in domo
Obscurus annos exigis.
At morte in ipsa cœlitus
Regnator orbis plurimis
Miris celebrem reddidit,
Plaudente Roma vocibus.
Tum Romulus te Pontifex,
Amboq. fratres Cæsares
Templo intulère proprijs
Humeris; duplex ò gloria.
Sic impetra & nos gloriam,
Mundiq. fastum spernere
Illa vt perenni gloria
Fruamur omni tempore.
Deo patri sit gloria. &c.

IN SS. SYMPHOROSAM, & septem Filios Martyres.

LAMPAS, decusq. Tyburis,
Dum te, tuosq. filios
O' Symphorosa, pangimus,
Cum prole tali hùc aduola.

Tu

Tu nanq. ad aspra concitas
Tormenta quos de Martyre
Getulio creaueras
Omnes vt essent Martyres.
Bacchatur in vos impius:
Teq. vt magistram, tum Ducem
Saxi prius cum pondere
In profluentem proijcit.
Exinde fratres singulos
Post terga vinctos brachia
Interficit. Crescentio
Guttur prius nam traijcit,
Et Iuliano confodit
Pectus: dehinc Nemesio
Cor arduum transuerberat:
Figitq. telis Stacteum.
Mox alteri transfigitur
Venter: sed alter ingemens
Partes secatur in duas:
Dum torret vnda sanguinis.
Iustinus efflat spiritum
Per membra sectus impiè,
Sic octo pingues hostiæ
Sunt immolatæ altissimo.
Tu mater, & vos nobiles,
Digniq. matre filij,
Cum fortibus parentibus
Placate CHRISTVM quæsumus,
Te nunc Redemptor quæsumus, &c.

IN S. PRAXEDEM Virginem.

FACTIS pijs, atque inclytis
Romana virgo nobilis,
Pudentianæ iam soror
Praxedes, te laudabimus.
Quamuis in æthra Martyres
Maioribus præconijs
Te Rege coràm maximo
Laudent, agantq. gratias.
Nam turbo ceu desæuiens
Cum persecutio ingruit,
Quot tu modis, quanta impigra
Iuuas opum vi Martyres?
Hos visitas in carcere:
Esurientes hos alis:
Illos tuæ domi occulis:
Hos vulneratos recreas.
Condis sepulcro corpora:
Atque hæsitantes plurimos
Hortaris ipsa ad lauream
Virago digna laureis.
Pertæsa tandem sanguinis
Tantum profusi cernere:
Pœnasq. acerbas indolens
Tot Christianos perpeti.
Ab his malis te liberet
(Sed si tibi conduceret)

Oras

Oras regentem sydera.
Qui iusta vota exaudijt.
Nam te vocauit ad Polos
Nexu solutam corporis.
Hic tu quieta tempora
Benigna, nobis impetra.
Laus, honor, virtus, gloria. &c.

IN S. MARIAM MAGdalenam.

EN tuis sacris adolemus aris
Thura, Myrrhamq. Assyriosq. odores,
Alma, quæ plantas Domini perunxti
Pixide fracta.
Ex luto legit preciosa gemma
Te Poli Rector, nitidamq. cœli
Intulit claustris, vbi nunc refulges
Aemula Solis.
Criminum sordes lachrymis lauando
Auribus verbum bibulis supernum
Hauris: & pendes sapiens amati ex
Ore magistri.
Te Cruci affixam cruor eius vndans
Abluit. tu flens tumulo recondis.
Prima surgentem vigilans, fideq.
Anxia cernis.
Nuntiasq. eius reliquis alumnis.
Ast vt in cælos redijt: sub antra

Galliæ cedis: nemorumq. sola
Incolis vmbras.
Hicq. terdenos agitans Decembres
Audis interdum superùm choreas;
Euolas ad quas tenebris ab huius
Libera carnis.
Non mali ignara, ò sacra Magdalena,
Disce nunc tu nos miseros iuuare,
Turre virtutum redimita multa,
Spesq. reorum.
Pœnitens da cor, lachrymasq. tristes,
Sontibusq. ora veniam, precamur,
Semper vt CHRISTVM simul audiamus
Grata loquentem.
Gloria patri, genitæq. proli. &c.

IN S. APPOLLINAREM Episcopum, & Marty.

APOSTOLORVM Principis
Sacer comes, ò sæpius
Martyr, tua hæc præconia
Apollinaris, accipe.
Nam Præsul ab Apostolo
Dum tu Rauennam mitteris,
Quam veritatem prædicas
Miris probas tu plurimis,
Mutæq. linguæ vincula
Soluis, fugasq. Dæmones.
Idcirco in æquor mergeris:

Durisq. virgis cæderis.
Superq. prunas ambulas,
Ast integris vestigijs.
Exul lates Aemilia,
Et suscitas hic mortuam.
Equuleo hinc extenderis:
Lymphamq. plagis feruidam
Sentis, catenas, carcerem;
Nauiq. solus pelleris.
Ripas ad Istri detulit
Hyems: agitq. in Thraciam.
Sed, hinc fugante Dæmone,
Rursus Rauennam deuenis.
Plagis satelles impius
Te fodit hic lethalibus.
Sic post tot ærumnas graues
Cæli ad quietem peruolas.
Multum tuis de laudibus
Detraximus, fortissime.
At ipse nobis impetra
Cum gloria victoriam.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. IACOBVM Apostolum.

EN tibi dignas, IACOBE, laudes
Concinit noster chorus. hic adesse
Tu velis, seu te tenet eminentem
Stellifer orbis.

Littus

Littus aut dum Callaicum frequentas,
Hic preces audis, recipisvè vota
Quæ tibi Europæ peregrinus omnis
Soluit, & offert.
E magis [illegible] tribus vnus ipse
[illegible] iantis alto
Monte, ceu Solem, faciem, niuesq.
Vincere vestem.
Ipse & in septum comitaris hortum.
Ast vbi scandens repetiuit astra,
Te tribus Iudæ, & Samaritis ora
Audijt omnis.
Inde tellurem peragras Iberam
Prædicans CHRISTVM, rediensq. Idumen
Iussa ob Herodis raperis sub atras
Carceris vmbras.
Qui tibi sanctum caput amputauit.
Corpus at lætans hodie reuexit
Propter, Hispanus, refluas arenas,
Oceanumq.
Hocq. se iactat mage quàm metallis
Auri, & argenti, rutilisvè gemmis.
Et tuo, tendit quoties in hostem,
Nomine fidit.
O Eques Christi, sociùmq. prime
Martyr, hoc te nos per iter sequamur,
Semper vt nostro capiti queamus
Viuere iuncti.
Gloria Patri, genitæq. proli. &c.

IN S. ANNAM MATREM B. Mariæ.

PROLEM virili semine
Fausto satam cum sydere
Nullus sub auras edidit
Venter, beatus vt tuus.
O dulcis ANNA, Lucifer
Ex qua, marisq. prodijt
Sydus, supernum quod tulit
Solem, iubarq. gloriæ.
Quæ nunc vides in æthere
Stellis decoram tempora
Solisq. amictam lumine
Tuam nitere filiam.
Felix, nepos cui contigit
Qui cuncta verbo condidit,
Nutuq. torquet sydera,
Summi parentis filius.
Ergo huic tuum tàm nobilem
Fructum, atque germen indicans,
Mater per illud impetra
Quod nos ab ipso poscimus.
Auersi vt à mortalibus
Hiemus ad cælestia,
Cum matre Regem Gloriæ
Ibi vt queamus cernere.
Præsta Pater pijssime. &c.

IN

IN S. PANTALEONEM Martyrem.

NEC, clare, te, Pantaleon,
Pæonia arte nobilis,
Decusq. Nicomediæ,
Silentio transibimus.
Nam qui gignit te sæculo
Vt tinctus es baptismate,
Vices rependens duplices
Hunc ipse Christo parturis.
Et te corona ciuica
Deuincit alta patria,
Te prædicante libera
A seruitute Dæmonum.
Equuleum qui præparant;
Lamnisq. te candentibus
Tum per ministros vstulant;
Sed cuncta fers hæc fortiter.
Tandem securi hinc euolas
Percussus, alme, ad lauream.
Aegros & illinc moribus
Nos vere, sana, Hippocrates.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN SS. NAZARIVM, CELSVM, & Victorem Marty. & Innocentium Papam, & Confesso.

NVNC, Celse vos, & Nazari,
Victorq. Martyr inclyte:
Teq. Innocenti Pontifex,
Læti canamus hoc die.
Nam Nazari, cum paruulo
Charoq. Celso in Gallia
Pro Christo in æquor mergeris:
Diuinitusq. euaditis.
Sed mox profecti Insubriam
Geruasij, & Protasij
Inseruientes vinculis,
Cæsi bipenni occumbitis.
Ast, Africane Pontifex,
Tu Victor, vt perennibus
Instruxisti iam ritibus,
Institutisq. Ecclesiam:
Purgasti & hanc zizanijs
Quæ densa pullulauerant:
Ne Palma deesset Martyri,
Cælum lucraris sanguine.
Tuq. Innocenti, sic tubis
Graijs, Latinisq. inclytis
Laudaris, vt non sit tibi
Nostris opus præconijs.
Ceu Loth Dei mens prouida

Te

Te Romæ ab aspro excidio
Subtraxit; arcens Hæreses
Hinc is superna ad gaudia.
Nunc vos, sacrati Martyres,
Et tu, beate Pontifex
Placate Regem maximum
Pontificum, tum Martyrum.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. MARTHAM Virginem.

MINISTRA MARTHA diligens
CHRISTIQ. felix hospita,
Nunc hospitata in æthere
Laudes tuas en percipe.
Vt hospes ille maximus
Pressit triumphans sydera:
Cum Magdalena, & Lazaro
Tu prædicas hunc omnibus.
Iudæa tunc insaniens
Vt amoueret vos procul,
Puppim carentem carbasis
Clauo parat, tum remige.
Imponit huic vos, & feris
Committit Euris, & mari.
Massyliæ sed littori
Dei voluntas appulit.
Hanc ad fidem conuertitis
Præsulq. dum fit Lazarus:

Et Magdalena ardentior
Sex lustra degit in specu;
Tu charitatis munere,
Et sanctitate fulgurans
Castissimis cum fœminis
Sedes remotas incolis.
Atque inde migrans ad Polos.
Per te, precamur, hospitam
Fiamus illo ab hospite
Cæli perennes hospites.
Præsta Pater piissime.
Patriq. compar vnice
Cum spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum. Amen.


IN SS. ABDON, ET Sennen Martyres,

PERSAE beati, poscimus,
Adeste vestris laudibus
Sennen, & Abdon, Martyres,
Quos Persidos dat Corduba.
Quas, vos canentes, teximus.
Nam vos triumpho in nobili
Sæuum Tyrannum vincitis
Qui vos triumpho duxerat.
Quod Christiana corpora
Tunc insepulta prædijs
Vos conderetis, impia
Edicta donec temneitis.

Graues

Graues catenis aspicit
Tractosq. Roma ad Dæmonas.
Sputis sed hos decentibus
Fædatis imperterriti.
Vrsis de hinc obijciunt,
Sæuisq. vos Leonibus:
At sicut olim Daniel
Hos sospites euaditis.
Tandem trucidant ensibus
Vos, adq. Idola pertrahunt.
Sed Laureatos Angeli
Ad astra ducunt spiritus.
Vt lata regna Persiæ
Orate CHRISTVM, visitet:
Deosq. ab illis effugans
Fide beanti illuminet.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IVLII FINIS.



AVGVSTVS.



IN SANCTVM PETRVM ad Vincula.

AVGVSTIOR refulgeat
Dies hæc, & sacratior:
Tibi dicata, Apostole,
Augusto vt olim Cæsari.
Nutu Dei nam maximi
Augusta læta, & hilaris
Reuersa de Hierusalem
Tuas catenas attulit.
Christiq. dat Vicario.
Qui contrà & illas protulit,
Romæ quibus deuinxerat
Tarpeia te custodia.

Miran-

Miranda res. ſic mutuis
Concatenantur nexibus.
Vnus quaſi illas artifex
Tunc implicaſſet annulis.
Aedes ſacrata protinus
Illis dicatur, & dies.
Iam fulgurant miracula:
Morbiq. cedunt pallidi.
Tactu cruenti Dæmones
Fugantur à mortalibus.
Quid ni? tremit ſi Tartarus:
Contràq. te non prævalet?
Tu, Petra nunc Eccleſiæ,
Diſſolue vincla criminum.
Noſq. abſolutos in Polum
Admitte, cæli Ianiter.
Te nunc, Redemptor, quæſumus. &c.

IN S. STEPHANVM PAPAM, & Martyr.

NVNC & canemus, maxime,
Tuas coronas, Pontifex,
Dedère nomen quæ tibi.
Ergo ſecundus hùc ades.
Romane, tu ſcientia,
Et ſanctitate ſplendidus
Prius triumphas plurimos
Huiuſce ſæcli principes.

Qui

Qui floruère Martyres
Conuersi ad astra à Tartaro
Per te. Sed vt crudelior
Bacchata persecutio est;
Victos triumphas Dæmones.
Idòla nanque stantia
Raptatus ad quæ duceris,
Confracta per te corruunt.
Liber reuisis hinc tuos.
Quos dum celebrans excitas:
Pane & superno roboras;
Missus satelles en adest.
Tibi & sedenti interrito
Caput verendum demetit.
Sic tu cruore proprio
Ascendis astra purpurans.
Cælestis Agni sanguine
Tu Pontifex aspergine
Peccata nostra dilue, vt
Cælum petamus candidi.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN INVENTIONE S. STEPHANI Protomartyris.

ECQVIS tibi non militet?
Pro te mori quis hæreat?
Si sic, Poli Rex inclyte,
Tuos honoras milites?

En Martyrum vexillifer
Qui sic iacebat obrutus,
Incognitusq. cum tribus
Tuis sacris Heroibus:
Te detegente in somniis
Diuinitus cognoscitur.
In visione ceu senex
Pauli magister iusserat.
Præsul sacer Hierusalem
Episcopis, & Clericis
Tum conuocatis aduenit
Quà Iulianus indicat.
Humo eruti iam quattuor
Effodiuntur loculi.
E queis odor suauissimus
Spirabat, & fragrantia.
Hùc turba adest mortalium.
Curantur ægri, ac debiles.
Sionq. clara Ecclesia
Tàm sancta cepit corpora.
His cum tribus nunc à Deo
Tu protomartyr impetra, vt
Nos mortui hic in cælitum
Inueniamur patria.
Præsta pater piissime. &c.

IN S. DOMINICVM Confeſſorem.

CLARE doctrinis, atauiſq. priſcis
Hùc ades: lætos modulamur hymnos,
Prædicatorum venerande ſacri
Ordinis author.
Nomen à cæli Domino trahens tu
Eius ob nutum Calarogæ oriris.
Te gerens namq. hæc genitrix in aluo
Somnia vidit.
Quippè latrantem catulum, gerentem
Ore tum flammas: quibus ille ad auras
Editus, totum gradiens patentem
Vreret orbem.
A ſacris nam te ſtudijs Tonanti
Mancipans, ſeptem nimis acer annos
Hæreſes frangis miſeræ Toloſæ
Triſtè vagantes.
Cælica & multos pietate aduris.
Inde bis Romam, germinoſq. Patres,
Sacra queìs triplex redimit Tiaras
Tempora, viſis.
Qui tuas normas ſatis approbarunt.
Vtq. ſancires magis ipſe miris,
Treis ab horrendis tenebris Auerni
Reddis ad auras.
Atque vt exortu populos Iberos,
Italos ſic & moriens, beares.

Vr-

Vrbe, quæ supra Aemeliam superbit,
Tendis in astra.
Tu vagas mentes religare vinclis
Nos face æterni, superiq. Amoris.
Liberi vt puras quatiamus alas
Aethera versus.
Sit salus illi, decus, atque virtus. &c.

IN DEDICATIONE
S. MARIAE ad Niues.

VNDE nix montem tegit Exquilinum
Si Leo diras iacit ore flammas?
Cui nouum Templum parat hoc niuale
Arbiter orbis?
Fortè Iohannes, & honesta coniux,
Nobiles ambo, genitiq. Roma,
Ambo cultores superùm, cupita
Prole carebant.
Dedicant quare bona cuncta matri
Regis æterni, rogitantq. eandem
Quid sibi ex istis libeat parari
Indicet ipsa.
Cum super collem nitidam per æthram
Decidens, templi struit alta formam
Nix, sub illustrem, tacitamq. noctem
Mira resurgens.
Virgoq. in somnis monet ipsa factum.
Exciti surgunt: moderanti & orbem
Rem Patri narrant, monito sub illud
Tempus ab ipsa.

Roma

Roma concurrit, ruit omnis ordo.
Extruunt Templum, decorantq. donis.
Quod Dei ob signum, monitumq. Diæ
Maius habetur.
Alma, quæ munda es macula, niuesq.
Vincis, hunc carnis stimulantis æstum
Frigerans, nos fac niueos Olympum
Scandere purum.
Præstet hoc nobis Deitas beata. &c.

IN TRANSFIGVRATIONE Domini.

GLORIAE *æternæ, superæq. pacis*
Rex, decus, vinclum, iubar, & voluptas,
CHRISTE, qui talis specimen dedisti in
Vertice montis;
Quando, te trino comitante alumno,
Exerens sese, radios vibrauit
Per sacrum corpus Deitas, figuram
Clarius ornans.
Nam tibi ceu Sol facies refulsit:
Et niues vestis superauit alba:
Atque sunt tecum gemini locuti
Mystica vates;
Legifer Moses, Helias propheta.
Et tonans cælo pater indicauit
Te suum natum, pariterq. iussit
Audiat omnis.
Nos eam duc ad patriam gementes

Magne

Magne Saluator, faciem beantem
Vt tuam, per te mereamur omni
Cernere sæclo.
Cælitesq. inter teneamus astra,
Charitas flragrans vbi regnat, & Pax,
Et Dei cunctos satiat perennis
Gloria visi.
Præstet hoc nobis deitas beata. &c.

IN SS. SIXTVM, FELICISSIMVM, & Agapitum Martyres.

CVR, Sixte, te silebimus
Atheniensis optime,
Pulcher Tiara Pontifex,
Martyr decore Laurea?
Philosopho de maximo
Si Christi fis discipulus?
Et prædicans hunc gentibus
Ab impijs comprenderis?
Mortem pati tu promptior,
Quàm signa Martis supplici
Genu vereri. ad asperas
Hinc ergo pœnas duceris.
Et dimicas sic fortiter,
Leuita vt à te nobilis
Exempla fortitudinis
Acceperit Laurentius.
Vt iusseras, Ecclesiæ
Egentibus pecunias

Dat ille; moxq. vt præcinis,
Maiora fert certamina.
Sic das caput securibus
Felicissimo, Agapito
Horumq. fultus æmulis
Cepère qui tunc Lauream.
Hoc ipse cinctus agmine
Illic, magister optime,
Assiste pro nobis rogans
Summi ad tribunal Iudicis.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. DONATVM Episcopum, & Martyrem.

DONATE, Præsul optime,
Donate summa laurea,
Hymnos obaudi quos tibi
Deuota plebes concinit.
Næ dignus es tu laudibus:
Et quod parentes Martyres
Iactas: quod & tu sanguinis
Pro Christo sis tàm prodigus.
Aretij te præsulem
Prius perornat insula.
Cæli at petentem sydera
Corona post certaminis.
Nam dum comes fortissimus
Hilarianus fustibus

Contusus efflat spiritum;
Eu colla das bipennibus.
Et munus hoc offers ei,
Nostri est caput qui corporis,
Nunc sic decorus accipe
Vota hæc, precesq. & munera.
Et dona nobis cælica
DONATE, liber impetra.
Per hæc iuuati ardentius
Vt appetamus æthera.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN SS. CYRIACVM, LARgum, & Smaragdum Martyres.

TVAS modò Victorias,
Tuos triumphos accipe,
Ab Rege cæli Domino
Qui dictus es, Cyriace.
Si magna fers certamina:
Magna & refers tu præmia.
Cum regna Christo parturis,
Dum bella pro Christo geris.
Namq. in tenebris carceris
Dum tot patras miracula,
Natam cruenti Cæsaris
Tu liberas à Dæmone.
Vocatus & in Persiam
A Regis eius filia

Statim malignum ſpiritum
Tu pellis, horror Tartari.
Quare patrem baptiſmate
Ipſamq. & vrbes abluis.
At Cæſar alter quæ tibi
Dat pro triumphis præmia?
Vincit catenis ferreis:
Teq. ante Rhedam pertrahit.
Pice & liquata offunderis;
Et in cataſta extenderis.
Largus, Smaragdusq. exerunt,
Et colla præbent enſibus.
Tecumq. plures Martyres
Cæli volant ad ſydera.
Orate Regem cælitum
Nunc vos, beati, vt fortiter
Hæc nos ferentes præmijs
Coronet illa in patria.
Te nunc Redemptor quæſumus.

IN S. LAVRENTIVM Martyrem.

NON triumphali tibi carpta lauro
Serta, at æternùm radians corona,
Tradita excelſi è manibus Tonantis
Tempora cingit.
Magne LAVRENTI, meritus ſacras qui
Laureas mille es, totidemq. Palmas,
Digne

Digne vir Roma, superoq. Olympo, &
Nomine tanto.

Prædo thesauros, minitans, repostos
Poscit; at ventres inopum repletos
Indicas. Quare furit ille magna
Percitus ira.

Et prius carnes lacerans aduncis
Vnguibus, prunas iubet, atque cratem
Sæuus adferri, quibus ipse nudus
Vsque cremeris.

Spiritus sancti calefactus igne
Vincis at flammas; latus & perustus
Verte, manduca, generosus inquis,
Hoc satis assum.

Gratior nullus super astra nidor
Iuit, & mulsit superos odore:
Quàm tuus vincens segetes Sabæas
Sydera lambit.

Alme, qui Christum satis æmulatus,
Vt Deo cor, & bona tradidisti,
Te magis tandem placiturus offers
Pingue holocaustum.

Propter hoc æstum superare carnis
Nos face: & flammis procul ex Auerni
Victimas Christo nitidas, placentes
Transfer in æthram.

Gloria Patri, pariliq. proli. &c.

Ad nuptias hinc emigras
Summiq. sponsi ad osculum.
Tuas sorores visita,
Et nos ab hoste protege:
Per teq. Clara, fac simus
Nos claritate præditi.
Laus, honor, virtus, gloria, &c.

IN SS. HIPPOLYTVM, ET Cassianum, & soci. Marty.


NVNC te, beate Hippolyte,
Vos socij; & fortissime
Te, Cassiane, pangimus.
Adeste vos canentibus.
Hippolyte, vt baptismate
Lauat, sic intus roborat
Leuita te Laurentius,
Paratq. cælo laureas.
Domo satelles te rapit
Dum pane vitæ vesceris.
Sed nil minæ: nil verbera:
Promissa nil te commouent.
Non cæsa nutrix: non domus
Fidelis aspra occisio.
Non efferi equi congruum
Nomen dedère qui tibi.
Donec ab his discerperis
Vt alter, ipse per loca

Hirsuta acutis carduis,
Christoq. in æthra iungeris.
At Cassiane, ferreis
Stylis die hac tu figeris.
Et morte lenta deperis,
Vt vulnus est imbellius.
Nunc impetrate, ò Martyres,
A Rege nobis Martyrum
Hic robur, & constantiam;
Illic perenne præmium.
Gloria Patri, genitæq. proli. &c.

IN ASSVMPTIONE B. MARIAE Virginis.

GAVDE, parens sanctissima,
Summiq. Regis filia,
Quæ vecta lætis Angelis
Hac luce scandis æthera.
En tot laborum præmium:
En passionum suscipis
Solamen optatissimum,
Fructus perenni gaudio.
Christus vocat te cælitus,
Hyems dolorum transiit;
Amica surgens ocyus
Veni columba candida.
Iam clara sumpto corpore
Excelsa tranas nubila;

Caliq.



AVGVSTVS.



IN SANCTVM PETRVM ad Vincula.

AVGVSTIOR refulgeat
Dies hæc, & sacratior:
Tibi dicata, Apostole,
Augusto vt olim Cæsari.
Nutu Dei nam maximi
Augusta læta, & hilaris
Reuersa de Hierusalem
Tuas catenas attulit.
Christiq. dat Vicario.
Qui contrà & illas protulit,
Romæ quibus deuinxerat
Tarpeià te custodia.

Miran-

Miranda res. ſic mutuis
Concatenantur nexibus.
Vnus quaſi illas artifex
Tunc implicaſſet annulis.
Aedes ſacrata protinus
Illis dicatur, & dies.
Iam fulgurant miracula:
Morbiq. cedunt pallidi.
Tactu cruenti Dæmones
Fugantur à mortalibus.
Quid ni? tremit ſi Tartarus:
Contràq. te non prævalet?
Tu, Petra nunc Eccleſiæ,
Diſſolue vincla criminum.
Noſq. abſolutos in Polum
Admitte, cæli Ianiter.
Te nunc, Redemptor, quæſumus. &c.

IN S. STEPHANVM PAPAM, & Martyr.

NVNC & canemus, maxime,
Tuas coronas, Pontifex,
Dedère nomen quæ tibi.
Ergo ſecundus hùc ades.
Romane, tu ſcientia,
Et ſanctitate ſplendidus
Prius triumphas plurimos
Huiuſce ſæcli principes.

Qui

Qui floruère Martyres
Conuerſi ad aſtra à Tartaro
Per te. Sed vt crudelior
Bacchata perſecutio eſt;
Victos triumphas Dæmones.
Idòla nanque ſtantia
Raptatus ad quæ duceris,
Confracta per te corruunt.
Liber reuiſis hinc tuos.
Quos dum celebrans excitas:
Pane & ſuperno roboras;
Miſſus ſatelles en adeſt.
Tibi & ſedenti interrito
Caput verendum demetit.
Sic tu cruore proprio
Aſcendis aſtra purpurans.
Cæleſtis Agni ſanguine
Tu Pontifex aſpergine
Peccata noſtra dilue, vt
Cælum petamus candidi.
Te nunc Redemptor quæſumus. &c.

IN INVENTIONE S. STEPHANI Protomartyris.

ECQVIS tibi non militet?
Pro te mori quis hæreat?
Si ſic, Poli Rex inclyte,
Tuos honoras milites?

En

En Martyrum vexillifer
Qui sic iacebat obrutus,
Incognitusq. cum tribus
Tuis sacris Heroibus:
Te detegente in somnijs
Diuinitus cognoscitur.
In visione ceu senex
Pauli magister insserat.
Præsul sacer Hierusalem
Episcopis, & Clericis
Tum conuocatis aduenit
Quà Iulianus indicat.
Humo eruti iam quattuor
Effodiuntur loculi.
E queis odor suauissimus
Spirabat, & fragrantia.
Hùc turba adest mortalium.
Curantur ægri, ac debiles.
Sionq. clara Ecclesia
Tàm sancta cepit corpora.
His cum tribus nunc à Deo
Tu protomartyr impetra, vt
Nos mortui hic in cælitum
Inueniamur patria.
Præsta pater pijssime. &c.

IN S. DOMINICVM Confessorem.

CLARE doctrinis, atauisq. priscis
Hùc ades: lætos modulamur hymnos,
Prædicatorum venerande sacri
Ordinis author.
Nomen à cæli Domino trahens tu
Eius ob nutum Calarogæ oriris.
Te gerens namq. hæc genitrix in aluo
Somnia vidit.
Quippè latrantem catulum, gerentem
Ore tum flammas: quibus ille ad auras
Editus, totum gradiens patentem
Vreret orbem.
A sacris nam te studijs Tonanti
Mancipans, septem nimis acer annos
Hæreses frangis miseræ Tolosæ
Tristè vagantes.
Cælica & multos pietate aduris.
Inde bis Romam, germinosq. Patres,
Sacra queìs triplex redimit Tiaras
Tempora, visis.
Qui tuas normas satis approbarunt.
Vtq. sancires magis ipse miris,
Treis ab horrendis tenebris Auerni
Reddis ad auras.
Atque vt exortu populos Iberos,
Italos sic & moriens, beares.

Vr-

Vrbe, quæ supra Aemeliam superbit,
Tendis in astra.
Tu vagas mentes religare vinclis
Nos face æterni, superiq. Amoris.
Liberi vt puras quatiamus alas
Aethera versus.
Sit salus illi, decus, atque virtus. &c.

IN DEDICATIONE S. MARIAE ad Niues.

VNDE nix montem tegit Exquilinum
Si Leo diras iacit ore flammas?
Cui nouum Templum parat hoc niuale
Arbiter orbis?
Fortè Iohannes, & honesta coniux,
Nobiles ambo, genitiq. Romæ,
Ambo cultores superùm, cupita
Prole carebant.
Dedicant quare bona cuncta matri
Regis æterni, rogitantq. eandem
Quid sibi ex istis libeat parari
Indicet ipsa.
Cum super collem nitidam per æthram
Decidens, templi struit alta formam
Nix, sub illustrem, tacitamq. noctem
Mira resurgens.
Virgoq. in somnis monet ipsa factum.
Exciti surgunt: moderanti & orbem
Rem Patri narrant, monito sub illud
Tempus ab ipsa.

Roma concurrit, ruit omnis ordo.
Extruunt Templum, decorantq. donis.
Quod Dei ob signum, monitumq. Diæ
Maius habetur.

Alma, quæ munda es macula, niuesq.
Vincis, hunc carnis stimulantis æstum
Frigerans, nos fac niueos Olympum
Scandere purum.

Præstet hoc nobis Deitas beata. &c.

IN TRANSFIGVRATIONE Domini.

GLORIÆ æternæ, superæq. pacis
Rex, decus, vinclum, iubar, & voluptas,
CHRISTE, qui talis specimen dedisti in
Vertice montis;

Quando, te trino comitante alumno,
Exerens sese, radios vibrauit
Per sacrum corpus Deitas, figuram
Clarius ornans.

Nam tibi ceu Sol facies refulsit:
Et niues vestis superauit alba:
Atque sunt tecum gemini locuti
Mystica vates;

Legifer Moses, Helias propheta.
Et tonans cælo pater indicauit
Te suum natum, pariterq. iussit
Audiat omnis.

Nos eam duc ad patriam gementes

Magne

Magne Saluator, faciem beantem
Vt tuam, per te mereamur omni
Cernere sæclo.
Cælitesq. inter teneamus astra,
Charitas flragrans vbi regnat, & Pax,
Et Dei cunctos satiat perennis
Gloria visi.
Præstet hoc nobis deitas beata. &c.

IN SS. SIXTVM, FELICISSIMVM, & Agapitum Martyres.

CVR, Sixte, te silebimus
Atheniensis optime,
Pulcher Tiara Pontifex,
Martyr decore Laurea?
Philosopho de maximo
Si Christi sis discipulus?
Et prædicans hunc gentibus
Ab impijs comprenderis?
Mortem pati tu promptior,
Quàm signa Martis supplici
Genu vereri. ad asperas
Hinc ergo pœnas duceris.
Et dimicas sic fortiter,
Leuita vt à te nobilis
Exempla fortitudinis
Acceperit Laurentius.
Vt iusseras, Ecclesiæ
Egentibus pecunias

Dat ille; moxq. vt præcinis,
Maiora fert certamina.
Sic das caput securibus
Felicissimo, Agapito
Horumq. fultus æmulis
Cepère qui tunc Lauream.
Hoc ipse cinctus agmine
Illic, magister optime,
Assiste pro nobis rogans
Summi ad tribunal Iudicis.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. DONATVM Episcopum, & Martyrem.

DONATE, Præsul optime,
Donate summa laurea,
Hymnos obaudi quos tibi
Deuota plebes concinit.
Næ dignus es tu laudibus:
Et quod parentes Martyres
Iactas: quod & tu sanguinis
Pro Christo sis tàm prodigus.
Aretij te præsulem
Prius perornat infula.
Cæli at petentem sydera
Corona post certaminis.
Nam dum comes fortissimus
Hilarianus fustibus

Contusus efflat spiritum;
Eu colla das bipennibus.
Et munus hoc offers ei,
Nostri est caput qui corporis.
Nunc sic decorus accipe
Vota hæc, precesq. & munera.
Et dona nobis cælica
DONATE, liber impetra.
Per hæc iuuati ardentius
Vt appetamus æthera.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN SS. CYRIACVM, LARgum, & Smaragdum Martyres.

TVAS modò Victorias,
Tuos triumphos accipe,
Ab Rege cæli Domino
Qui dictus es, Cyriace.
Si magna fers certamina:
Magna & refers tu præmia.
Cum regna Christo parturis,
Dum bella pro Christo geris.
Namq. in tenebris carceris
Dum tot patras miracula,
Natam cruenti Cæsaris
Tu liberas à Dæmone.
Vocatus & in Persiam
A Regis eius filia

Statim malignum spiritum
Tu pellis, horror Tartari.
Quare patrem baptismate
Ipsamq. & vrbes abluis.
At Cæsar alter quæ tibi
Dat pro triumphis præmia?
Vincit catenis ferreis:
Teq. ante Rhedam pertrahit.
Pice & liquata offunderis;
Et in catasta extenderis.
Largus, Smaragdusq. exerunt,
Et colla præbent ensibus.
Tecumq. plures Martyres
Cæli volant ad sydera.
Orate Regem cælitum
Nunc vos, beati, vt fortiter
Hæc nos ferentes præmijs
Coronet illa in patria.
Te nunc Redemptor quæsumus.

IN S. LAVRENTIVM Martyrem.

NON triumphali tibi carpta lauro
Serta, at æternùm radians corona,
Tradita excelsi è manibus Tonantis
Tempora cingit.
Magne LAVRENTI, meritus sacras qui
Laureas mille es, totidemq. Palmas,
Digne

Digne vir Roma, superoq. Olympo, &
Nomine tanto.
Prædo thesauros, minitans, repostos
Poscit; at ventres inopum repletos
Indicas. Quare furit ille magna
Percitus ira.
Et prius carnes lacerans aduncis
Vnguibus, prunas iubet, atque cratem
Sæuus adferri, quibus ipse nudus
Vsque cremeris.
Spiritus sancti calefactus igne
Vincis at flammas; latus & perustum
Verte, manduca, generosus inquis,
Hoc satis assum.
Gratior nullus super astra nidor
Iuit, & mulsit superos odore:
Quàm tuus vincens segetes Sabæas
Sydera lambit.
Alme, qui Christum satis æmulatus,
Vt Deo cor, & bona tradidisti,
Te magis tandem placiturus offers
Pingue holocaustum.
Propter hoc æstum superare carnis
Nos face: & flammis procul ex Auerni
Victimas Christo nitidas, placentes,
Transfer in æthram.
Gloria Patri, pariliq. proli. &c.

IN SS. TIBVRTIVM & Susannam Martyres.

NEC te, Tiburti nobilis,
Nec te, Susanna, splendida
Virgo, obruet silentium,
Romæ celebres Martyres.
Præfecti vt vrbis filius
Tum prædicasti filium;
Dei: reuinctus duceris
Ad iudicem nequissimum.
Tiburti; at ille ardentibus
Sterni solum carbonibus.
Iubens, ait, Dijs immola;
Vel nudus bos perambula.
Signo Crucis te muniens
Tu nuda fers vestigia
Prunis super candentibus,
Ceu per Rosas, vel lilia.
Existimaris tum Magus:
Et plecteris ceruicibus.
Et vertici coniungeris
Per quem mouemur, & sumus.
At tu, Susanna, filio
Dilecta saeui Cæsaris,
Huius repellis nuptias
Vt nupta sponso Virginum.
Tentata quare plurimis
Pœnis, manes interrita.

Tandem

Tandem domi das ensibus
Colla, & coronam percipis.
O luce eadem Martyres
In morte iam simillimi,
Vestra Tonantem feruida
Oratione flectite.
Te nunc Redemptor quæsumus; &c.

IN S. CLARAM Virginem.

O CLARA lampas Vmbriæ,
Fulgensq. sydus alterum,
Mater sororum diligens,
Quo te canemus carmine?
Nam ciuis huius æmula,
Viros vt ille, Virgines
Tu congregas, atque aspera
Custodis illas regula?
Es ipsa propugnaculum
Tuis, & ensis fulminans.
Nam patriæ de mœnibus
Fugas ouantes barbaros.
Cùm lapsa vox ab æthere
Signum dedit victoriæ.
Orans deinde perpetim
Ieiuniis te conteris.
Panemq. sumens cælicum
Romano ab ipso Præsule,

Ad nuptias hinc emigras
Summiq. sponsi ad osculum.
Tuas sorores visita,
Et nos ab hoste protege:
Per teq. Clara, fac simus
Nos claritate præditi.
Laus, honor, virtus, gloria, &c.

IN SS. HIPPOLYTVM, ET Cásianum, & soci. Marty.

NVNC te, beate Hippolyte,
Vos socij; & fortissime
Te, Cassiane, pangimus,
Adeste vos canentibus.
Hippolyte, vt baptismate
Lauat, sic intus roborat
Leuita te Laurentius,
Paratq. cælo laureas.
Domo satelles te rapit
Dum pane vitæ vesceris.
Sed nil minæ: nil verbera:
Promissa nil te commouent.
Non cæsa nutrix: non domus
Fidelis aspra occisio.
Non efferi equi congruum
Nomen dedère qui tibi.
Donec ab his discerperis
Vt alter, ipse per loca

Hirsuta

Hirsuta acutis carduis,
Christoq. in æthra iungeris.
At Cassiane, ferreis
Stylis die hac tu figeris.
Et morte lenta deperis,
Vt vulnus est imbellius.
Nunc impetrate, ò Martyres,
A Rege nobis Martyrum
Hic robur, & constantiam;
Illic perenne præmium.
Gloria Patri, genitæq. proli. &c.

IN ASSVMPTIONE B. MARIAE Virginis.

GAVDE, parens sanctissima,
Summiq. Regis filia,
Quæ vecta lætis Angelis
Hac luce scandis æthera.
En tot laborum præmium:
En passionum suscipis
Solamen optatissimum,
Fructus perenni gaudio.
Christus vocat te cælitus,
Hyems dolorum transiit;
Amica surgens ocyus
Veni columba candida.
Iam clara sumpto corpore
Excelsa tranas nubila;

Caliq.

Cæliq. stans in vertice
Eius cateruas despicis.
Premensq. Lunæ cornua
Amicta Solis lumine,
Fulgens corona sydervm
Nati sedes ad dexteram.
Hic te beati Spiritus
Lætis celebrant cantibus:
Aguntq. per te gratias
Trinam regenti machinam.
Sed nos precamur affatim
Regina summæ gloriæ
Assumpti vt à mortalibus
Feramur in cælestia.
Vbi videntes in throno
Te præsidentem regio,
Deo, tibiq. debitas
Laudes canamus perpetim.
Sit Christo honos, & gloria
Matrem Polis qui reddidit,
Cum Patre, & almo spiritu
Et nunc, & in perpetuum. Amen.

IN ASSVMPTIONE eiusdem B. Virginis.

Si tonat festis choreis Olympus:
Si Deum laudant superi, quod ipsa
Hoc die vt sidus rutilans supernas
Scanderis arces:

Nostra

Nostra cur laudes tibi plebs negabit?
Gratias cur non referat Tonanti,
Alma, cui tellus, pelagusq. & æther,
Astraq. parent?
Qualis Eoo renouata ab orbe
Cærula cauda, roseisq. pennis
Euolat ducens volucrum cateruas
Aurea Phænix.
Qualis aut tangit thalamos, decora
Auro, & argento, rutilisq. gemmis
Sponsa, quam denso comitatur altam
Agmine turba.
Talis æternum spolium resumens
Veste in aurata, variaq. fulgens
Cælitum turma comitante, cælum
Ipsa petisti.
Nati & ad dextram solio recumbis
Nixa stellanti, redimita Sole;
Hicq. te Diuam, Dominamq. laudat
Spiritus omnis.
Alma regnatrix superum, nitensq.
Virgo, nos vt te celebremus illic,
Ad Polos nostras in humum recuruas
Erige mentes.
Præstet hoc nobis Deitas beata.

IN S. AGAPITVM
Martyrem.

DILECTE *Christo* AGAPITE,
Prænestis

Prænestis alta gloria,
Nam dignus es præconijs,
Quæ psallimus, nunc accipe.
Aetatis ipse vix tria
Iam lustra tunc impleueras,
Et fers velut vir ferreus
Tormenta sic immania?
Non fustium te verbera:
Non carcer ater: non fames
Tàm longa quiuit à Dei
Te charitate abducere.
Vertex flagrat carbonibus:
Pronusq. iam suspenderis:
Fumoq. amaro pasceris:
Agis sed vstus gratias.
Vtraq. mala frangeris.
Expirat at nequissimus
Iudex tribunali excidens.
Mox bestijs obijceris.
Ausæ sed hæ nil lædere.
Tandem machæra in patria
Caput virile demetit
O mille fulgens laureis.
Cæli tenes nunc gloriam.
Hoc vulnerum stipendium.
Exemplo & hoc nos incitans
Prece adiuua ardentissima.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. BERNARDVM Abbatem.

BERNARDE, spirans vndiq.
Miram tui fragrantiam,
O Doctor ardentissime,
Adesto, nam te pangimus.
Te nobilem Burgundia
Pulchrumq. forma protulit:
Candore vitæ sed micas
Vt lilium conuallium.
Puer Deo te mancipas
Multos coæuos aggregans.
Et mirus abstinentia
Nouus videris Angelus.
Tantumq. raptus ætheri
Intendis, ipsas vt Mitras,
Cunctosq. honores respuas,
Hanc ne quietem rumperent.
Claræq. vallis inclytus
Abbas, locis in plurimis,
Romæq. monasteria
Normis decorans excitas.
Ecclesiam cum schismata
Grauesq. turbæ scinderent:
Has ipse quo componeres
Terras peragras Italas.
Condisq. doctus cælitus
Aeterna scripta, promicat

In queis amor cælestium,
Mundiq. vilipendium.
Has alma per te gratias
Det virgo nobis, poscimus,
Olim tibi quas contulit
Dilecta toto pectore.
Deo patri sit gloria. &c,

IN SS. TIMOTHEVM, Hippolytum, & Symphorianum Martyres.

NVNC vestra, sancti Martyres,
Timothee, atque Hippolyte,
Symphorianeq. inclyte,
Cantabimus præconia.
Quos vna lux ex partibus
Tribus Olympo reddidit.
Dum nanque Christum prædicas,
Comprenderis, Timothee.
Romæq. sentis carceres,
Et pectines, & vngulas,
Et calce viua offunderis,
Caputq. truncus hinc migras.
Hippolytus sed Ostiæ
Pro Christi & ipse gloria
Suum profundens sanguinem
Trophæa ab hoste rettulit.
Sed tu parentis vocibus
Symphoriane, percitus

Ceu miles ære ad prælium,
Certamen intrans dimicas.
Cælumq. lætus intuens
Augustuduni, fortiter
Cadens datis ceruicibus
Pro Christo, ad astra peruolas.
O trina cæli lumina,
Nunc ante Christum fulgida,
Nos luce vestra ducite
Ad Trinitatis gloriam.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. BARTHOLOMAEVM Apostolum.

HVC ades nostris oculis oberrans,
Nam tuas vires, tolerantiamq.
Laurea dignam canimus perenni
BARTHOLOMÆE.
Vt tuus cælum Deus, ac magister
Pressit, Eoos properas ad Indos,
Edocensq. illos, methodum petendi
Sydera mostras.
Hinc ouans victor redis, atque pandis
Prædicans inde Armenijs Olympum.
Plurimæq. vrbes, pariterq. Rex cum
Coniuge credunt.
Regis at frater gemuit, dolensq.
Te tua tantum potuisse lingua,

Detrahi pellem tibi sæuus; ira
Imperat ardens.
Prò dolor, manat cruor vndecunq.
Sed magis nunquam spolijs optimis
Quis triumphauit, superùmq. lætus
Fixit ad aras.
Quàm tuum portans spolium, Deoq.
Offerens, magno velut hoste cæso
Ipse ouas rubro proprij decorus
Sanguinis ostro.
Exue humana, fragiliq. cura
Nos, vt hac nudos tegat, induatq.
Gloriæ fulgens stola, qua micantes
Astra colamus.
Gloria patri, genitæq. proli. &c.

IN S. LVDOVICVM
Confess. Regem Franciæ.

NON tibi tantum diadema fulgens,
Non potens sceptrum, rutilans neque ostrum,
Galliæ aut regnum, Ludouice, clari
Addit honoris.
Spiritus quantum super astra raptus
Hunc premens mundum, pietas, amorq.
Candor & vitæ, fideiq. zelus,
Relligioq.
Nanq. permisit viridans vt ætas
Eruas Christi vt Canibus sepulcrum,
Armaq.

Armaq. & gentes, validasq. classes
Expedis ardens.
Vincis Aegyptum, remanesq. captus,
Postea liber populos salubrem
Ad fidem vertis: rediensq. egenis
Cuncta ministras.
Rursus arma infers Libyae tremendus.
Dira sed pestis populatur agmen:
Teq. iam stellis animam beatam
Reddere cogit.
Lachrymis sed te, gemituq. amaro
Pauperes flerunt, viduaeq. & aegri.
Copias horum pius ipse nanq.
Semper alebas.
Rex tuis scutum, columen, decusq.
Fac vt haec mundi bona negligentes
Nos coronatos teneant, & ostro
Sydera claros.
Gloria patri, genitaeq. proli. &c.

IN S. ZEPHERINVM
Papam, & Martyrem,

NEC, Zepherine Pontifex
Romane, te tacebimus,
Quando inclytus certamine
Ad astra caeli peruolas.
Vt institutis optimis
Quae seruat vsque Ecclesia,
Hanc imbuisti; Clericis,
Legesq; dans Episcopis.

Defunctus alto hoc munere
Tandem profundis sanguinem
Pro Rege cæli fortiter
Cuius gerebas hic vicem.
Tuaq. Palma fulgidus
Tandem quiescis in Polo:
Hic ipse nobis impetra
Remissionem criminum.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. AVGVSTINVM
Episcopum, & Conf. & Eccl. Doct.

O Pater, per quem tumefacta tellus
Africa Europæ minus inuidet iam,
Siue nunc stellas colis, aut Ticini.
Ossa reuisis;
Huc ades, paruæ decus ò Tagastæ.
Liberas artes, variasq. doctus
Ambrosi iam vir manibus salubri
Tingeris vnda.
Inde regressus Libycas ad oras
Ordinem condens regis institutis
Telaq. hic primum fidei in proteruos
Conijcis hostes.
Præsul Hipponis sacra vasa frangens
Pauperes pascis pius, abstinensq.
Prædicas, scribis, Libyamq. monstris
Vndiq. purgas.
Arma treis menses fera Vandalorum
Passus, Aureli, lachrymans, precansq.

Spiritum claris meritis onustum
Mittis ad astra.
Nubila vt Phœbus fugat, ingruentes
Hæreses toto pepulisti ab orbe.
Et tuis armis etiam tuemur
Dogmata nostra.
Splendor, AVGVSTINE, tuus sequentes
Ducit in cœlum. Via certa nam tu.
Tu Domus Christi columen, decusq.
Claraq. lampas.
Fac reuoluamus tua docta scripta.
Vt fides sanctis comitata factis
Nos super celsum, geminis vt alis,
Aethera ducat.
Gloria patri, genitæq. proli. &c.

IN DECOLLATIONE S. IOHANNIS Baptistæ.

QVOS in excelsa locat arce mundi
Principes, terris patitur neglectos
Impiam tandem tolerare mortem
Aetheris author.
EN IOHANNES sacra vox Tonantis,
Angelus Christi celebratus ore,
Quiq. eum tinxit fluuio, facerq.
Matris ab aluo,
Maximus vatum, super eminensq.
Gloria cunctos, veneranda præbet

Regis incesti monitu nefando
Colla securi.
Gratia promptæ, & teneræ puellæ,
Rege quæ coram salit, hocq. poscit
Munus in disco; iubet hoc, petitq.
Impia mater.
Prô scelus! mensis madidis Lyæo
Inter infandas epulas sacratum
Ebrii spectant caput, atque palmas
Sanguine turpant.
Quem vides truncum, tibi regna viuo
Impie Herodes, adimet; sub horam &
Vltimam mundi Phlegetontis atras
Mittet ad vndas.
Ast Iohannes, triplici corona
Cinctus, exemplo patienter isto
Ferre da quicquid meritis superna
Intulit ira.
Sit salus illi decus, atque virtus. &c.

IN S. SABINAM, Martyrem.

NEC te, SABINA, splendida
Coniux viri clarissimi,
Romana, præteribimus
Matrona fulgens Laurea.
Structo sepulchro virgini
Seraphiæ, quæ syderum

Viam

Viam tibi monſtrauerat
Et Martyr illa aſcenderat.
Comprenſa ſtatim ſiſteris
Immani, & aſpro Iudici,
Qui cum petram te cerneret
In optima ſententia.
In te, Deum quod crederes
Chriſtum, Deosq. ſperneres,
Pronuntiat ſententiam,
Mucrone qua tu cæderis.
Sic is ad aſtra ſanguine
Formoſa Martyr, iunctaq.
Illic magiſtræ Martyri
Regem videtis Martyrum.
Hanc caſtitatem nobilem,
Deiq. zelum feruidum
Virago flagrans, impetra
Tu Chriſtianis fœminis.
Laus, honor, virtus, gloria. &c.


IN SS. FELICEM, ET Adauctum Martyres.

FELICIS acta illuſtria,
Pectusq. Adaucti feruidum
Nunc pangimus. Vos, Martyre,
Aure hùc benigna intendite.
Comprenſus ob Chriſti fidem
Cum ducerens ad Deùm

Tu signa, Felix, impia,
Derides hæc; & consputis
Repente at illa corruunt
Concussa tanquam machinis.
Quare ad cruentum, ceu Magum,
Supplicium te pertrahunt.
Occurris huic tu nomine
Ignotus, at post laurea,
Palmaq. Adauctus. nec mora
Te Christianum clamitas.
Teteq. letho deuoues
Pro Christo. Vtrique hinc protinus
Caput bipenni abscinditur.
Daturq. cæli laurea.
Certamen æmularier
Hoc, Martyres, concedite
Per vos vt illic perpeti
Adaugeamur gloria. Amen.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

AVGVSTI FINIS.

SEPTEM-



SEPTEMBER.



IN S. AEGIDIVM Abbatem.

PANGAT almi nunc Abbatis
AEGIDI præconia
Chorus hic. nam sanctitatis
Fulgor eius omnia
Longè in sæcla, omnis ætatis
Clarus est harmonia.
Stirpe regia ergo natus
Hic Athenis emicat:
Litterisq. perornatus
Se, suaq. dedicat
Deo. nam parente orbatus

Cuncta egenis erogat.
Tunicamq. quam gerebat
Ipse semet exuit:
Aegrotumq. hac, qui iacebat
Nudus, ardens induit.
Atque ò mirum, qui feruebat
Febre, tunc conualuit.
Hinc Cæsarium inuisit
Vanam spernens gloriam,
Arelate vt illi arrisit
Ex Sathan Victoriam
Ferens, specu se commisit
Linquens hic memoriam.
Nanque eremo vasti horroris
Pastus est radicibus
Graminum: statis & horis
Montis ex verticibus
Cerua dabat nutu authoris
Mammis lac altricibus.
Quam dum canes insequuntur
Regis Galliæ inclyti
Antrum fortè ingrediuntur
Quo iacebat, inciti.
Atque huc famuli feruntur
Rex & ipse perciti.
Hunc qui postquam honorauit,
Condi monasterium
Ibi sanctè postulauit:
Regis ergo imperium
Illud vbi ædificauit,

Subis

Subis ministerium.
Abbas monachos sic regis
Mirus abstinentia,
Oues tandem linquens gregis
Scandis ad fulgentia
Astra, præbe hinc summi Regis
Nobis dona ingentia.
Genitori, genitoq.
Laus, & iubilatio. &c.

IN NATIVITATE B. MARIAE.

CADVNT tenebræ noctium
Quæ sæcla tot contexerant
Mundum nigra caligine
Primi à parentis crimine:
Dum tu, MARIA, splendida
Omnis decore gratiæ
A matris aluo candida,
Et tota fulgens exilis.
Tu qualis ortu Lucifer
Noctemq. & vmbras discutit,
Solusq. perstans syderum
Diem propinquam nuntiat.
Aurora tu mirabilis
Rosis, & auro fulgida;
Solem nouum quæ parturis
Occasus omnis nescium.

Radice Iesse virgula
Egreßa, florem proferens
Orbis replentem terminos
Mira sua fragrantia.
O nobilis Virguncula
De stirpe nata regia,
Regem supernæ gloriæ
Enixa clavstro ab integro.
Fac vt colentes nos tuæ
Natiuitatis gaudia
Per te beati perpetim
Nascamur in cælestibus.
Tuoq. natali inclyto
Mundo labanti pessimè
Benigna mater, omnium
Da gratiarum munera.
Gloria tibi Domine
Qui natus es de Virgine. &c.

IN S. ADRIANVM Martyrem.

NEC, *Adriane, nobilis*
Martyr, tacenda est pectoris
Tui sacri constantia, &
Mirabilis conuersio.
Nam cùm, iubente Cæsare,
In vrbe Nicomedia
Tu persequens tunc Martyres

Pœnis

Pœnis eos affligeres;
Miratus horum ferream,
Celsamq. fortitudinem,
Ex his vt vnus fulgeres
Et ipse credis in Deum.
In carcerem detruderis
Adcirco. tum Natalia
Ad lauream te; visitans,
Hortatur vxor inclyta.
Ergo flagella sustines,
Quousque viscera effluant.
Mox crura frangens amputat
Pedes, caputq. carnifex.
Nobis, beate, prospera
Semper, precamur, impetra.
At si fatigent tristia,
Da ferre forti hæc pectore.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. NICOLAVM DE Tolentino Confessorem.

O natę cæli munere
Vt sanctus olim Samuel:
O Nicolae, gloria
Piceni, vt ille Dauniæ;
Laudes tuas ne despice
Quas alternantes psallimus.
Sed quid prius cantabimus
O clare tot virtutibus?

Ipsis

Ipsis ab incunabulis
Amplecteris ieiunia:
Et pane, & vnda victitans
Mundana cuncta despicis.
Corpus tenellum verberas
Cinctus catena ferrea.
Solaris ægros visitans,
Tentaris & à Dæmone.
Orando noctes integras
Sex ipse menses Angelos
Audis canentes noctibus
Hinc ante quàm decederes.
Quis concinat miracula
Quæ mox patrasti ab æthere?
Tu das salutem languidis,
Et mortuos resuscitas.
O norma pœnitentiæ,
Cum patre magno Aurelio
Nobis precare gratias,
Tuosq. fratres protege.
Deo Patri sit gloria. &c.

IN S. GORGONIVM Martyrem.

GORGONI, meritò te celebrabimus,
Vnà & Dorotheum, fortia pectora,
Quos cælo peperit, ceu duo sydera,
Nicomedia florida.

Nam

Nam Regem superùm dum meditamini,
Aulamq. ætheream: Cæsaris impij
Aulamq. & thalamum spernitis, ad fidem
Ductis pluribus aulicis.
Atque hunc intrepida voce fatemini.
Tum vos ille flagris cædier imperat
Dum sanguis flueret: scissaq. vulnera
Succis perfricat acribus.
Crati flammiuomæ vos super injicit
Prunas sufficiens, corpora vt vstulent;
Dlrisq. opprobrijs vt magis expleat
Vos, suspendio & enecat.
Hæc propter rutili vulnera Martyres
Inter purpereos nunc spatiamini;
Nobisq. à Domino, Regeq. Gloriæ
Claras poscite Laureas.
Te summa Deitas, vnaq. poscimus. &c.

IN SS. PROTHVM, ET Hiacynthum Martyres.

NVNC vos celebres Martyres
Prothe, & Hiacynte splendidi
Laudabimus, sed nobili
Eugenia cum virgine.
Vnà sacrati gurgitis
In fonte baptizamini.
Aſt vbi eremo in horrida
Sacris vacastis litteris.

Vnà,

Vnà, vocati cælitus
Eunuchi vt eius inclyti
Romam ſuperbam tangitis
Quà vos manebat laurea.
Nanq. hic reuinctis protinus
Vt Chriſtianis, aut mori,
Offerre ſeu thus Dæmoni
Vobis datur tunc optio.
Hoc pernegantes, & Deum
Chriſtum fatentes, aſperis
Cæſi flagellis denique
Collum datis bipennibus.
Vt caſtitatem candidam,
Nobisq. fortitudinem
Rex largiatur cælitum,
Vos impetrate poſcimus.
Te nunc Redemptor quæſumus. &c.

IN EXALTATIONE S. CRVCIS.

VT feruido in certamine
Signo recepto milites
Quod victor hoſtis traxerat,
Iò triumphe. concinunt.
Sic nos Tonantis filio
Regumq. Regi maximo
Grates agentes debitas
Hymnos canamus hoc die.

Quo

Quo Rex ouans Heraclius
Ex hoste victo barbaro
Clarus triumpho nobili
Vexilla nostra rettulit.
O Crux, manu quam propria
Gestans, cateruas Hostium
Fudit cruento prælio
Ille imperator omnium;
Tua sub vmbra protege
Nos militantes seruulos
Eius: proculq. exercitus
Terrore pelle Dæmonum.
Vt signa iam victricia
Læto sequentes agmine
Veris decori laureis
Intremus æthræ mænia.
Iô tibi victoria
O Christe, victor per Crucem,
Cum Patre, & almo spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

IN S. NICOMEDEM Martyrem.

NEC Martyr alme presbyter
Te Nicomedes, obruet
Silentium, cum fulgeas
Cœlis, & hic clarissimus.
Nam Christiana seruidus
Dum charitate tu velut

Alter

Alter Thobias Martyrum
Mandas sepulchris corpora,
Ad signa Diuùm duceris
Comprensus. hisq. pernegas
Illos honores reddere
Verus Deus quos postulat.
Plumbàtis ergo cæderis.
Asproq. in hoc certamine
Cinctum corona fulgida
Reddis Deo iam spiritum.
Felicula cum Martyre.
Tu Martyr idem cordibus
Nostris amorem tàm pium,
Hancq. impetra constantiam.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. CORNELIVM Papam, & Martyrem.

LAVDEMVS & te, Pontifex
Romane; nam scientia,
Et sanctitate præmicas
CORNELI, & alta Laurea.
Nanq. ipse te iuuantibus
Claris, pijsq. fœminis
Apostolorum corpora
Locis honestis collocas.
Quo quisque passus fuderat
Sanctum cruorem. plurimi
Cæleste per te mox iugum
Christi fideles induunt.

Hæc

Hæc vt Tyrannus audijt
Amens relegat protinus.
Tum Cyprianus exulem
Per litteras te roborat.
At munus hoc dum sæpius
Persoluit alter alteri:
Vt perduellis, & reus
Plumbatis aspris cæderis.
Subisq. Mortem fortiter
Dum thura Marti denegas:
Datis enim ceruicibus
Scandis Polorum Regiam.
Viuens ibi nunc maxime,
Nobis, sacerdos, impetra
Iungamur vt nos vertici
Christo, per omne sæculum.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. CYPRIANVM Episcopum, & Martyr.

AFRICAE splendor, CYPRIANE, laudes
Nunc tuas audi, tibi quas recenset
En memor noster chorus, o decus Carthaginis altæ.
In Deum credens vbi lotus vnda
Es sacrosancti nitida lauacri
Haud doces Rhetor bonus eloquendi
Amplius artem.

Præsul at magnam patriam gubernans
Hoste ab vrgenti gemino tueris
Tu fidem nostram rutilis vtrinq.
Acer in armis.
Nam modò gentes rabidas refrænas.
Hæreses prauas modo pellis ardens
Præsidi concors dominas tenenti
Tybridis arces.
Sicq. dicendi liquida coruscas
Copia tersus, videaris vt fons
Lenis, & purus, fluat vnde dulcis
Lactea vena.
Vtq. honor cælo geminatus esset;
Fundis ob Christum moriens cruorem.
Euolas quare super astra celsus
Dulcè canendo.
Qualis Alphæi fugiens ab vndis
Aucupis pectus rubefactus ictu
Dulcè in extremo modulando Cygnus
Nubila tranat.
Ipse sis felix, Cypriane, nobis:
Vt tuis scriptis moniti sequamur
Te per angustum, superumq. callem
Sydera versus.
Præstet hoc nobis Deitas beata. &c.

IN SS. EVPHEMIAM, LVCIAM, & Geminianum Martyres.

LAVDEMVS & te virgo Christi Euphemia:
Te

Te Lucia, & te Geminiane ſplendide,
Idem dies quos haud eodem de loco
Cinctos coronis cæli ad aſtra ſubſtulit.
Diuerſa nam tormenta apud Chalcedonem
Equuleum, virgasq. & ignes, & rotas
Euphemia, ipſa paſſa fortis, deniq.
Obiecta iam Leonibus diſcerperis.
At Lucia accuſata nato à proprio
Romana, ſancta, & vidua, quod iam diu
Tu Chriſtiana viueres, demitteris
In ollam plumbo, atque reſina feruidam.
Euadis hinc illæſa, ſed mox ferreis
Vinclis onuſta, & tracta ſic per compita
Ad cultum Chriſti hac pertrahis conſtantia
Geminianum nobilem cum pluribus.
Quos inde tortos amputatis deniq.
Ceruicibus dux ipſa ad aſtra lucida
Commilitones ducis in certamine
Tecum: coronas qui cepère ſplendidas.
Tu, clara virgo, vosq. clari Martyres,
Hos Chriſti amores, hancq. fortitudinem
Donate nobis, cælitumq. gratias:
Prece & nos veſtra ſubleuate in æthera.
Sit Trinitati ſempiterna gloria. &c.

IN SS. IANVARIVM, ET Socios Martyres.

TV cum miniſtris fortibus
Nobis ades canentibus

Et infulis, & Laureis
O IANVARI splendide.
Audite vestras glorias.
Pepercit vt Abdenago
Incensa fornax, nec tibi
Læsit capillum verticis.
Nec dentibus vos appetunt
Missæ in theatrum bestiæ.
Sed blandiuntur gestibus,
Mirante Diæarchia.
Vtroque captus lumine est
In te ferens sententiam
Iudex. iubar sed aspicit
Te, præsul, orante, inclyte.
Conuersa sunt mortalium
Tunc millia hoc miraculo.
Ingratus ast hic imperat
Caput securi percuti.
Quod nunc sacratus cùm cruor
Seruatus in vitro aspicit,
Concretus ante exæstuat
Stupente ad hæc Neapoli.
Felix quidem Campania,
Textam coronam quæ gerit
Vobis odoris floribus,
Rosisq. sic perennibus.
Tu, IANVARI nobilis,
Et vos ministri compares,
Seruate nos, & omnia
Bona impetrate desuper.

Te nunc Redemptor quæſumus. &c.

IN S. MATTHAEVM Apoſt. & Euangeliſtam.

APOSTOLI præconia
Qui geſta Chriſti condidit
Lætis canamus vocibus:
Sequamur & veſtigia.
MATTHAEE, tu tantummodo
Spernens opes, & ocyor
Vocem ſecutus cælicam,
Quot es lucratus glorias?
Mercator à Telonio
Electus es Apoſtolus.
Chriſto & tenente ſydera
Euangeliſta nobilis.
Exin vbi omnis Aethiops
Per te docentem credidit,
Pulcher cruore, & Laureis
Aeterna regna poſſides.
Nunc gaudeat Campania,
Tuis refulgens oſſibus.
Vne è quadriga flammea
Deum per orbem quæ vehit.
Fac nos vocari cælitus,
Atque hæc caduca ſpernere:
Ditari & in cæleſtibus;
Vt te, beate, nouimus.
Te nunc Redemptor quæſumus.

IN SS. MAVRITIVM & Socios Martyres.

VESTRIS ouantes Laureis
Mauriti ades hùc impiger,
Et vos lucrati ſydera
Commilitones ſtrennui.
Nam nuda ſtrictis enſibus
Offerre iuuit pectora
Tunc vos: magis quàm Cæſaris
Adeſſe ſacris impijs:
Agmen Thebæum nobile
Sic ſpontè inermes lanceis
Fixiq. vos mucronibus
Occumbitis, ceu victimæ?
At nunc oues vos de Lupis,
Raptas, per amnes Nectaris,
Perq. illa ducit paſcua
Paſtor creator omnium.
Vos nunc Trophæis inclyti,
Veſtras per has Victorias
Optate nobis Laureas
Pro carne victa, & Dæmone.
Te nunc Redemptor quæſumus. &c.

IN S. LINVM PAPAM, & Martyrem.

NVNC optime, atque maxime
O LINE salue Pontifex,
Quo gloriatur filio
Gaudetq. iure Hetruria.
Nam primus ipse post Petrum
Ecclesiæ tu suscipis
Clauum magister impiger,
Hanc dirigens ad sydera.
Fideq. tanta es præditus:
Hac sanctitate fulguras,
Eijcias vt Dæmones,
Et mortuos resuscites.
Et facta Petri illustria
Conscribis, illa maximè
Queis de Polis hic deijcit
Fretum Magum præstigijs.
At Consul ingratissimus
Tandem caput tibi amputat,
Cuius maligno à spiritu
Tu liberaras filiam.
Tu nunc Petri naniculæ
Succurre. Christumq. excita,
Nanq. hinc Scythæ, & inde hæreses
Conantur hanc submergere.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. THECLAM VIRGINEM, & Martyrem.

SANCTA, cui Paulus patefecit astra
Virgo, qua nata Iconium superbit,
THECLA, quam patres veteres Olympo
Laudibus æquant.

Vt tibi dignas resonemus odas
Tu faue. sponsi thalamos relinquis:
Hincq. te seruam pater esse Christi
Prodit iniquus.

Propter hoc igni rogus altus ardet:
Te Cruce armatam iacis huc: at ortus
Imber extinxit rapidas repentè
Flumine flammas.

Inde te magna Antiochèa vidit;
Bestias quà tu superas, ferosq.
Qui tuos artus lacerare Tauros
Fune parabant.

Plena serpentum tibi iam pepercit
Fossa. nam tales superare pœnas,
Sponsus illæsam dedit ille; cuius
Summa potestas.

Vertis his miris populos ad eius
Tu fidem multos: patriamq. tangens
Militas illi reliquos per annos
Vertice montis.

Virgo cui Palma, & Diadema palmas,
Et comas ornant meritas, acerbos

Ipsa sic da nos superando casus
Scandere cælum.
Præstet hoc nobis Deitas beata. &c.

IN SS. CYPRIANVM, & Iustinam Martyres.

O par amantum nobile,
Quos mundus hic dissoluerat:
Sed Christus hic, & in Polo
Iunxit perenni vinculo;
Tu, Cypriane prouide,
Iustina tuq. candida,
Adesse vestris poscimus
Præconijs, ô Martyres.
O ter beati, lubricos
Non vos voluptas subdola;
Sed iunxit in certamine
Irrupta Christi copula.
Hunc propter vnà in carcerem
Itis, flagrisq. & colaphis,
Immanè verberamini
Immobiles, atque alacres:
Nudi simul frigimini
In feruida sartagine
Ceræ, picisq. atque adipis;
Illæsi at inde euaditis.
Vnà datis bipennibus
Mox colla, & vnà ad sydera

Volatis,

Volatis, vnà Laureas
A summo Amante sumitis.
Vos nunc, Amor quos vinculis
Pacis perennis alligat,
Cupidines sic vincere
Date, atque pœnas currere.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN SS. COSMAM, & Damianum Martyres.

O clariores lucidis
Illis gemellis, indicat
Quos nocte clara Signifer,
Fratres rubentes sanguine.
O Damiane, ceu iubar,
Decusq. Cosma, Arabiæ,
Noster chorus nam vos canit,
Adeste cincti Laureis.
Cum redderetis pristinæ
Aegros saluti plurimos
Vos, alteri ceu Pæones,
Vel fauce ab ipsa Tartari;
Non tàm peritia, arteq.
Quam vi superna, & nomine
Potenti IESV, publicè.
Quem prædicatis gentibus;
Bacchatur ira percitus

Fru-

Frustrà Tyrannus impius.
Nam vos reuinctos brachia
Pedesq. mergit in fretum.
Sed vnda parcens extulit.
At mox in ardentissimum
Rogum, Magos ceu, coniicit.
Sed flamma vos abhorruit.
Sed queis pepercit æquoris
Vnda, atque flammæ incendium,
Cædens securis ætheri
Dedit beatos Martyres.
Nunc vos fugate poscimus
Morbos: simulq. spiritus
Curate. per vos vt simus
Et mente sani, & corpore.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN DEDICATIONE S. MICHAELIS Archangeli.

QVIS ætheris nunc ianuas
Pandet? quis indicauerit
Nunc Angelorum singulos
Latè micantes ordines?
Sacræ phalanges cælitum,
Queis ardor, & scientia,
Et principatus indidit
Nomen, Potestasq. inclyta;

Vos quinque cæteri chori,
Et qui Dei conspectui
Immobiles assistitis:
Et iussa qui capessitis;
Ab hoste nos defendite.
Velutq. odores thureos
Offerte Regi maximo
Nostras preces, & lachrymas.
Tuq. ante cunctos, Michael,
Magnum Draconem syderum
Partem trahentem, prælians
Qui depulisti ab æthere.
Gargani & altum verticem
Sedem tuam qui deligens,
Quo sæpius nos viseres
Miraculis illuminas.
Pro partibus stans signifer
Nostris, profliga Dæmones.
Et Tartari de faucibus
Periclitantes erue.
Rex magne, Christe, cælitum
Te postulamus affatim,
Vt Angelorum cœtui
Iungas precantes seruulos.
Amen.


IN S. HIERONYMVM PRAESBYT. Confessor. & Eccles. Doctor.

OPVS tuæ facundiæ
O Doctor esset inclyte,
Decentibus præconijs
Laudare te, HIERONYME.
Quid splendet in te clarius
Magnæ nitor scientiæ?
An pura vitæ sanctitas,
Et aspra pænitentia?
O Cymbalum, quo spiritus
Sanctus per orbem concrepat;
Quo lingua tinnit dulciter
Latina, Græca, Hebraica;
O fons fluentis lacteis
Manans, Deiq. Ecclesiam
Rigans perenni flumine
Doctrinæ, & Eloquentiæ.
O Gemma Doctorum nitens:
Ecclesiæ Sol aureee,
Splendore qui fallacium
Fugas tenebras dogmatum.
Longè latebras incolis
Vastas eremi squallidus.
Et Mundus omnis consulit
Cæleste quasi Oraculum.
O bis beata Bethleem,
Quod Christus in te natus est;

Quodq.

Quodq. hic tuis in rupibus
Aeterna scripta condidit.
Ex mente nostra quæsumus
Pellatur ignorantia.
Vitæque continentia
Per te micemus perpetim.
Sit laus tibi, sit Gloria
O Christe Doctor omnium
Cum Patre, & almo spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

SEPTEMBRIS FINIS.



OCTOBER.



IN S. REMIGIVM EPIscopum, & Confess.

GALLIAE scutum, rutilansq. sydus,
Alme Rhemensis venerande præsul,
Ac Dei verbi, fideiq. nostræ
Maxime præco;
REMIGI, his hymnis properans adesto.
Siue per Gallos populos vagaris:
Siue eos propter precibus Tonantem
Sancte, fatigas.
Fudit vt voti reus, atque victor
Galliæ tum Rex Clodoueus hostem,
Est sacri per te, nitidiq. lotus
Fontis in vnda.

Cum

Cum cadens cœlis, oleiq. plena
Fulsit ampulla. hinc reliquos feroces
Edoces, Francos, reseransq. Christum,
Flumine tingis.
Et nitens miris, pariterq. scriptis
Excitas Orci è tenebris puellam;
Atque scripturas, fideiq. sacræ
Dogmata pandis.
Galliæ nunc tu fer opem labanti.
Namq. Germanus labefactat anguis.
Credidit per te, resipiscat & nunc
Credula per te.
Sit salus illi, decus, atque virtus. &c.

IN S. FRANCISCVM Confessorem.

IESV, tuorum gloria,
Amore qui tàm feruido
Te diligentes diligis,
Roddas tibi vt simillimos;
Attende laudes debitas
Quas luce festa psallimus,
Qua gloriosus æthera
FRANCISCVS ascendit tuus.
Prima à iuuenta cœlico
Hic incitatus spiritu
Terrena cuncta negligens
Te mente iam conceperat.

Alle-

Allectus & dulcedine
Dilectionis intimæ,
Desiderauit altius,
In teq. transformarier.
Tormenta nanq. cogitans,
Pænasq. quas tu passus es:
Suo rogauit corpore
Sentire eas identidem.
Votis pijs haud abnuis.
Sed promicans ab æthere
Eius sacratis artubus
Tu quinque plagas imprimis.
Tanto beatus munere
Excelsa scandit syderas;
Interq. clara Seraphim
Fulget tuis insignibus.
Per huius alma stigmata
Te nunc, Redemptor, quæsumus
Vt nostra sacri pectora
Amoris igne concremes.
Cum Patre, & almo Spiritu
Honor tibi sit cælitum
Rex, in tuis mirabili
Sanctis, per omne sæculum. Amen.

IN S. MARCVM PAPAM, & Confess.

NEC, Marce, summe Pontifex
Romane, te silebimus.

Nam sanctitate præditus
Mitra coruscas triplici.
Per te, sacris sollenniis
Festis diebus intonat
Nostris per aures cordibus.
Apostolorum symbolum.
Ob præsulem tibi Ostia,
Cui tu dedisti pallium:
Per quem sacratur Pontifex
Debet, refertque gratias.
Plus debet vrbs. nam maxima
Tu templa in ipsa construis,
Quæ Cæsar ille ingentibus
Donis adauxit posteà.
Obdormiens hinc denique.
Cœls migras ad gaudia.
Hic pro quiete Ecclesiæ
Precare, magne Pontifex.
Deo Patri sit gloria. &c.

IN SS. DIONYSIVM, Rusticum, & Eleutherium Martyres.

O Docte Martyr eloquens,
Areopagi gloria,
Atheniensis inclyte,
Modo huc ades, Dionysi.
Quod carmen æquet maximas
Laudes tuas? Tu coniicis

Deum

Dcum pati, cùm concuti
Mundum nigrantem cerneres:
Te Paulus ipse Apostolus
Conuertit, & fonte abluit
Sacro: ordinatq. præsulem;
Vt ipse Athenas corrigas.
Quis pandit æthræ ianuas?
Quis indicauit ordines
Cælestium? quis nomina?
Deiq. tot mysteria?
Te Roma, te mox Gallia
Dei intonantem filium
Audiuit. hùc cum Rustico
Sectatur Eleutherius.
Neu tu careres Laurea:
Tormenta passo hic plurima
Tandem caput præciditur,
Quod ipse fers tot passibus.
Vt doctæ Athenæ ediderant
Te, docta sic Lutetia
Condit, coluntq. Galliæ:
Regesq. honorant supplices.
Choros apertos Cælicos
Per te tuentes, nos trahe
Illuc. micantes Angelos
Cernamus vt perfectius.
Præsta Pater piissime. &c.

IN S. CALISTVM PAPAM, & Martyrem.

NEC denegemus debitas
Laudes tibi, nunc optime
Caliste, summe Pontifex,
Mitra decore, & Laurea.
Nos etenim solennia
Per tempora anni quatuor
Per te sacris affligimur
Ieiuniis, ac tergimur.
Tuumq. nomen euehit
Ad astra Roma haud immemor:
Quam sicut ipse ritibus,
Sic & perornas molibus.
Testatur id pulcherrimum
Templum beate Virgini
Transtyberim quod construis
Illustre tot miraculis
Illudq. cœmeterium
Dictum tuo de nomine.
Quo iam sacerdos plurimus,
Quo sunt sepulti Martyres.
Post hæc, sacri certaminis
Adeptus es tu præmium.
Tuoq. pulcher sanguine
Aeterna scandis sydera.
Hinc fluctuanti subueni
Petri rati hoc in æquore

Nan-

Nanq. Eurus hinc, inde horrifer
Boreas iniquè verberant.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. LVCAM EVANGELIST.

AETERNA lux mortalium
LVCAE penetrans pectora,
Qui luce fulgurans tua
Nunc nostra corda illuminat;
Intende, CHRISTE, laudibu,
Quas illius solennijs
Eius inuati literis
En mente grata psallimus.
Curabat ægra corpora
Hic artis ante callidus.
At nunc perenni pharmaco
Nostris medetur mentibus.
Nam doctus ex Apostolo,
Comesq. constans illius
Quicquid tuba de cælica
Hausit, fidelis intonat.
Aruumq. arans Ecclesiæ
Vt Taurus armenti decus
Clarè, Sacerdos vnice,
Actus tuos immugijt.
Preces per huius poscimus
Curentur ægri spiritus.
Tuæq. nostris cordibus
Imago vitæ splendeat.
Sit laus tibi, sit gloria,

Has qui quadrigas dirigis,
Cum Patre, & almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

IN S. HILARIONEM Abbatem.

EXEMPLAR abstinentiæ,
Sol sanctitatis splendide,
Tuis, beate HILARION,
Intende dignis Laudibus.
Auditor Antoni, æmulus
Baptistæ, eremum squallidam
Solus, puerq. incolis,
Pugnasque contra Dæmones.
Re vendita ditissimus,
Et erogata in pauperes:
Setis amictus horridis,
Succisq. pastus graminum.
Vitans vagantes hæreses
Quot exul ipse per loca
Vagaris? & quot perpetras
Vbique tu miracula?
Te Cyprus, & Trinacria
Videre egenum, exulem
Dum tu labore victitas
Contemptus, atque ignobilis.
Tibi imperanti obtemperant
Pontus, Dracoq. lethifer.

Ma-

Malosq. pellis spiritus
A plurimis mortalibus.
At lustra agens iam sexdecim
Plures alumnos deserens,
Benignè adhortans increpas,
Mittisq. ad astra spiritum.
Sic abstinentes nos face
Cuncta hæc caduca spernere:
Vt hinc frui cælestibus
Queamus omni tempore.
Præsta Pater piissime. &c.

IN SS. VRSVLAM, ET Soc. Marty. & Virg.

QVO gloriosæ Virgines,
Quo sic inermes tenditis?
Exercitus innoxij
Ducem sequentes Vrsulam?
Feris quid itis obuiam
Lupis, vt Agnæ candidæ?
Non arma vos perterritant
Tingenda vestro sanguine?
Intentet aspras vngulas,
Ferroq. & igni sæuiat
Tortor, modosq. plurimos
Lethi minetur impius.
Hic nos triumphus euehet
Ad regna cæli fulgida.

Certamen hoc in tempore
Aeterna donat munera.
Hunnus trucidet nos licet
Rex eruens Coloniam.
Tamen perenni Laurea
Viuemus illic fulgidæ.
Vos nunc per hanc victoriam
Precamur, almæ Virgines,
Vincamus hoc vt sæculum
Carnisq. motus noxios.
Laus sit tibi Rex Martyrum,
Et sponse clare Virginum,
Cum Patre, & almo spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

IN SS. CHRYSANTVM, & Dariam Martyres.

QVIS claudat Hymnus inclytas
Vestras, beati coniuges,
Laudes, Chrysanthes, & Daria
Clari fide, & natalibus?
Nam dum velut vos cælicæ
Duæ tubæ conuertitis
Christi ad fidem sanctissimam
Viros hic, illa fœminas;
Tu Romæ ob id comprenderis
Chrysanthe ab aspro milite.
Soluta sed sunt vincula,
Fractiq. statim compedes.

Exinde

Exinde Tauri tergori
Inclusus, ardentissimo
Soli æstuans exponeris.
Sed maior æstus temperat.
Manus reuinctus, & pedes
In carcerem mox truderis.
Sed lux superna fulgurat,
Ruptæ & catenæ decidunt.
At in lupanar Daria
Compulsa, & orans maximo ex
Leone ab irruentibus
Defenditur diuinitus.
Effossa humo tum denique
Vtrumq. saxa contegunt.
Felix nimis connubium
Quod atra Mors non diuidit.
Sed Christi amor nunc copulat.
Per vos amorem cæteris
Huic, nuptijs, simillimum
Infundat almus spiritus.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. EVARISTVM Papam, & Martyrem.

NEC transeamus Græciæ
Te lampas ardentissima,
Martyr, placensq; & optime
Romæ, Euariste, Pontifex.

Eccle-

Ecclesiæ nam præsidens
Ecclesiarum titulos
Vrbis sacræ tu diuidis
Presbyteris, ac præcipis.
Vt cingerent Episcopum
Septem ministri, munere
Dum prædicandi fungitur.
Et Nuptias tibi obligas.
Per te carent fallacijs,
Dum celebrantur publicè;
Augustioresq. efficit
Has sacra comprecatio.
Trium regens sic Cæsarum
Ætate, tandem sanguinem
Fundens tuo Christo, euolas
Hinc ad perennem gloriam.
Succurre nunc Ecclesiæ
Tu, rector alme, cælitus:
Et præliantem strennuè
Vt ipsa vincat, adiuua.
Te nunc Redemptor quæsumus.


IN SS. SIMONEM, ET IVDAM Apostolos.

LAETEMVR omnes gaudio
Nunc duplici. nam duplici
Dies hic ardet lumine
Apostolorum Martyrum.

Illustre

Illustre par, & nobile
Simon, Thadæeq. inclyte,
Vt fonte ab vno flumina
Egressa bina defluunt.
Deinde concurrentia
Vastum specum subincidunt.
Sed hinc vtrumq. grandius
Auras reuisens labitur.
Sic vos scatentes spiritu
Digressi ab ipso exordio
Rerum, magistroq. vnico,
Diuersum iter iam carpitis.
Baptismatis nam flumine
Terras, SIMON, tu perluis
Quas vnda circum murmurat
Euphratis, atque Tygridis.
Ast alter Aegyptum rigat
Nilo ruens fœcundior.
Congressi & ambo in Perside
Coniungitis miracula.
Hic terra vos iam Martyres
Cruore sparsos obruit.
At Laureati spiritus
Emergitis sub æthera.
Vestræ preces nos adiuuent,
Quo mortui terrestribus
Degamus; hinc vt fulgidi
Supermicemus sydera.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

OCTOBRIS FINI



NOVEMBER.



IN FESTO OMNIVM Sanctorum.

FONS Sanctitatis, omnibus
Dans esse sanctos, spiritum
Sanctum tuum qui ceperint
O Sancte Sanctorum omnium;
Adsis sacris solennijs
Quæ condimus sub inclyto
Honore Sanctorum omnium
Qui regna cœli possident.
MARIA Virgo virginum,
Materq. Regis cælitum;
Vos gloriosi Spiritus
Nouem sedentes in choris;

Præcan-

Præcursor alme Domini,
Apostoliq. principes.
Vos Patriarchæ nobiles,
Vatesq. veracissimi;
Vos Laureati Martyres,
Christumq. fassi fortiter:
Præclara Doctorum agmina,
Patres, Eremiq. incolæ:
Vos candidatæ Virgines,
Simulq. Sancti cæteri;
Audite vota supplicum
Conuertite hùc & lumina.
Per vos precantes iugiter
Nos sæculi de turbine
Raptos Dei clementia
Perducat in cælestia.
Chorisq. vestris inserat.
Ipsi vt per omne sæculum
Pleni perenni gaudio
Melos canamus gloriæ.
Sit laus, honor., & gloria. &c.

IN COMMEMORATIONE OMnium Fidelium Defunct. Deprecatio.

IESV, tuis spes vnica,
Qui missus à sinu Patris
Homo tulisti fortiter
Gustare mortis poculum.

Petensq.

Petensq. nigros Inferos.
Prædis optimis splendidus
Victo ex Auerno tertia
Die reuisis æthera
Nostras, benigne, lachrymas
Precesq. mixtas suscipe,
Quas propter illos fundimus
Hoc qui migrarunt sæculo.
Vides eorum spiritus
Vt torqueantur acriter
Pœnis, modisq. plurimis
In igne purgatorio:
En de profundis clamitant,
Seq. adiuuari postulant.
Ignosce tu fidelibus
O CHRISTE defunctis tuis.
Paulumq. pœnas eleua.
Siue ò refringens carcerem
Tetrum, reduc ad sydera;
Luce vt perenni gaudeant.
Aeterna donetur quies
Illis, Redemptor omnium,
Cum Patre, & almo spiritu
Regnans per omne sæculum. Amen.

IN SS. VITALEM, ET Agricolam Martyres.

VOS pares in certamine,
Conditione dispares.

Tu

Tu serue, tuq. Domine
Vitalis, atque Agricola,
Dum vestra facta pangimus,
Adeste nostris cantibus.
Contenditis Bononiæ:
Fit calchar alter alteri.
Vitalis ipse plurimas
Pœnas ferens pro nomine
CHRISTI, Deo gratissimum
Orando reddis spiritum.
Exemplo & huius incitus
Affixus es Agricola
Cruci; volasq. hinc Domini
Ad Crucifixi gloriam.
Certamina hæc fortissima
Sic æmulemur, poscimus,
O quos agone haud impari
Aequalis ornat Laurea.
Laus, & perennis gloria. &c.

IN SS. QVATTVOR Coronatos Martyres.

QVADRIGA cincta Laureis,
In qua triumphat Martyrum
Rex, quattuor concordia
Auete, fratres, pectora.
Qui despuentes Dæmonas
Pro Sancto IESV nomine

Cæsi

Cæsi plumbatis, spiritum
Fudistis inter verbera.
Proiecta sunt mox corpora:
Sed non canes attingere
Ausi sacras sunt victimas
CHRISTO, cruore perlitas.
At vos sepulchrum suscipit
Quo quinque erant tum Martyres.
Ad astra qui præcesserant
Vos carpti ab aspris vngulis.
Quod rennuissent, sculpere
Aut signa adorare impia.
Arcisq. clausos plumbeis
Sic flumini mandauerant.
Vos Laureati Quattuor:
Vos quinque clari Martyres:
Nobis coronas perpetes
Oratione texite.
Laus, & perennis Gloria. &c.

IN DEDICATIONE
Basilicæ Saluatoris.

NOSTRAE parenti Ecclesiæ
Congratulemur hoc die.
Nanq. ipsa templis aureis
Quieta crescit vndiq.
En Constantinus excitat
Vt lotus est baptismate,

Templum

Templum suo è palatio
Tibi, ò Saluator omnium.
Syluester en hoc dedicat:
Altare & vngit chrismate.
Tua en imago promicat
Repentè de pariete.
Ob hoc nouum miraculum,
Sacrationis ob diem,
Nos ritè læti ducimus
Hanc, atque ouantes psallimus.
Tu nos, tuamq. ab omnibus
Romam periclis protege:
Seruaq. nos in æthera
Saluator alme sæculi.
Laus, & perennis Gloria. &c.

IN S. THEODORVM Martyrem.

PVRPVRA, ac lauro radians perenni
Miles ò Christi, Theodore, salue.
Hùcq. ades dexter, tua dum celebrat
Hic chorus acta.
Hostium forsan populatus vrbes
Ignibus quondam, popularis ipse
Excitis vento facibus prophana
Fana Deorum.
Cultor illorum furit, æstuatq.
Idq. te fassum venereris aut hos

Cogit: horrendum genus aut minatur
Mortis atrocis.
At Deos ridens, fremitumq; temnens,
Carceri immissus laceraris uncis
Vngulis artus. rubet inde totum
Sanguine corpus.
Carne nudantur, superantq; costæ.
At Deo perstans benedicis ipse
Lætus: atq; eius celebras sereno
Pectore laudes.
Surgit ardenti rogus igne flagrans.
Hùcq; iactaris; resonans at hymnos
Scandis hic linquens moribunda membra
Flammeus astra.
Auro, & Electro, rutilisq; gemmis
Purior fulgens, Theodore, ab igne,
Nos face vt cœlum nitidos ab omni
Labe receptet.
Martyrum Princeps, decus, & corona.
Martyrum da nos Choreis adesse:
Quà Pater tecum, pariterq; regnat
Spiritus almus. Amen.

IN SS. TRIPHONEM, RESPIcium, & Nympham Martyres.

TRYPHON, Respici, Nymphaque,
Martyr, tribune, & candida
Virgo, simulque Martyres.
Fauete, nam vos pangimus.

Dum

Dum Tryphon in Saxonia
Christum tonans tu prædicas:
Adest satelles Cæsaris,
Ac te cruentat vngulis.
Et torquet aspro equuleo:
Celsoque tollit stipite:
Figitque, pœnas aggerans,
Clauis pedes candentibus.
Nudisque membris lampadas
Vt ustuleris, admouet.
Sed ipse fers immobilis,
Agisque Christo gratias.
Tribunus hanc constantiam
Respiciens Respicius,
Credens Deo tunc protinus
Se Christianum fassus est.
Orante sed te Iuppiter
Trybon, ab ara corruit.
Quod Nympha spectans credidit,
Se Christi & esse clamitat.
Sic vos viri ambo nobiles,
Vnàque, Virgo, plumbeis
Cæsi pilis ad Laureas
Volastis ex certamine.
Delicias sic temnere,
Christumque nos respicere,
Stellasque, date, scandere
Tryphon, Respici, Nymphaque.
Te nunc Redemptor quæsumus. &c.

IN S. MARTINVM Episcopum, & Confess.

LAETA MARTINO canat vsque nostra
Concio laudes, meritosq. honores.
Dexter has tu nunc hilares ab astris
Accipe voces.
Quid prius, quid post tibi concinemus?
Charitas cogens operire nudos
Exuit temet, reseratq. cælos,
Miraq. patrat.
Christus in somnis tibi nam videtur
Veste contectus: radians Olympo
Te super flagrat globus, atque obumbrat
Igneus aras.
Vtq. Iordani, tibi Lepra cessit,
Osculo dum tu petis hanc. Fideq.
Ipse treis atro reuocas ab Orco
Lumine cassos.
Graminum succis aleris; Tyrannos,
Hæresesq. ortas fugiens per orbem:
Martyr ob Christum tamen haud vereris
Fundere vitam.
Galliæ præsul monachis coactis
Militas cæli Domino, canisq.
Semper huic psalmos: Erebiq. Regem in
Funere terres.
Euehunt sed te superùm cateruæ
Ad Polos cantu. simul hasq. spectant

 Spiritus

Spiritus rapti, tibi qui relictis
Artubus adsunt.
Alme, nunc ciues populos tuère
Ab Scytha immani; nitidasq. sic da
Degere has luces, mereamur vt, post
Gaudia cæli.
Gloria patri, pariliq. proli. &c.

IN S. MENNAM Martyrem.

O comparande maximis
Victoribus, præconijs
Perennibus dignissime
Mennas, beate Aegyptie;
Christiq. miles strennue,
Ex vltimo qui prælio
Tot rettulisti vulnera,
Audi tuas Victorias.
Furerent duo cum Cæsares
Ferissimos in Martyres:
Plebsq. infidelis lucibus
Queis nati erant, applauderet.
Deserta linquens horrida
In quæ diu secesseras,
Ades, repentèq. increpas
Ritus prophanos gentium.
Ob hoc Theatrum consfremit:
In teq. currunt milites:
Ac torquent in equuleo,

Nudumque loris uerberant.
Inde admouentes lampadas
Plagas fricant cilicio
Trahuntque te peraspera:
Truncumque tradunt ignibus.
O tot coronis fulgide,
Tot clare cicatricibus:
Ab Rege summo cœlitum
Nobis coronas impetra.
Laus, & perennis gloria. &c.

IN S. MARTINVM PAPAM, & Martyrem.

MARTINE, summe Pontifex,
Vmber, Tuderti gloria
Hos ob tuam constantiam
Hymnos canoros accipe.
Damnatus abste perfidus,
Præsul regens Byzantium.
Persensit ex te quàm Petri
Essent tremenda fulmina.
Non quiuit vnquam flectere
Te rector ille Thraciæ,
Qui nauigans Italiam
Romam trophæis exuit.
Non ausus est te tangere
Eius minister; horruit,
Cum lictor in te concitus
Cæcus repentè factus est.

Sed fraude tandem prenderis:
A Thraciaque mitteris
In Chersonesum pro fide
Christi, ubi ad astra commigras.
Tu pullulantes hæreses
Auelle Martyr, Pontifex.
Nam seminauit plurima
Hostis uetus zizania.
Laus, & perennis gloria. &c.

IN S. GREGORIVM THAVMAturgum Episcopum, & Confess.

QVIS tuas uersu numerare laudes
Audeat. miris celeber canendis
Gregori, quo Mazaca nouit astra
Præsule felix?
Vatibus summis uir, Apostolisque
Digne conferri. pietate nanque
Atque doctrina, rutilisque miris
Vndique fulges.
O fides ardens: prece tu potenti
Eruis montes, alióque transfers.
Litium causam simul hacque siccas
Alme, paludem.
Ad Lyci ripas superantis arua
Tu tuo innixus baculo, fluentis
Imperas eius: baculusque surgit
Arbor ad auras.
Nec tuis tantum, uenerande, iussis

Nec tuis tantum, venerande, iussis
Paruit Natura, sed Orcus, & Dis.
Dæmonas nanq. è statuis Deorum
Exigis atros.
Atque ab obsessis miseris. propheta
Tu Deo plenus canis & futura.
Propter hæc vertens populos, ad alta
Sydera duxti.
Alme Thaumaturge, Deo fuisti
Qui, velut Moses sacer ille, charus:
Nobilis scriptor, fideiq. lumen,
Et via cæli.
Seu tuis miris, prece seu potenti
Hæreses fac in tenebras recedant.
Vtq; sub nostro cadat ense fractus
Barbarus hostis.
Præstet hoc nobis Deitas beata. &c.

IN DEDICATIONE Basilicæ, Petri, & Pauli.

Iam gaudio nunc duplici
Lætetur alma Ecclesia.
Nam bina templa Apostolis
Nunc eriguntur inclytis.
En Constantinus maximam
Aedem tibi æthræ clauiger
In Vaticano construit,
Vt fonte lotus est sacro.
Syluester almus Pontifex

Hanc consecrat: moxq. erigit
Altare puro è marmore,
Vetans deinde ligneum.
Tibiq. Doctor gentium,
Ille Imperator alteram
Iam ponit: hancq. dedicat
Idem, sacratq. Pontifex.
Vos nunc, beati Apostoli;
Ecclesiarum Principes,
Mundi columnæ, & lampades,
Duoq: Christi fulmina;
Vt ex duabus arcibus
Vestram Romam defendite,
Vt semper orbis sit caput
Protecta vestro lumine.
Te nunc, Redemptor, quæsumus. &c.

IN S. PONTIANVM Papam, & Martyrem.

CVR Pontiane, maxime
Te pontifex tacebimus,
Si sanctitate præditus
Dei rexisti Ecclesiam?
Proq. eius almo nomine
Ferens labores fortiter,
Et passus exul tot mala
Martyr migrasti ad sydera?
Nam relegatum pestilens
Accepit vt Sardinia:

Afflictum

Afflictus hic incommodis
Cœli ad quietem peruolas.
Hic tu quieta tempora,
Pacemq. nobis impetra:
Vt resipiscant hæreses.
Et deleatur impius.
Laus, & perennis Gloria. &c.

IN S. CAECILIAM
Virginem, & Martyr.

VT tibi dignos meditemur Hymnos
O decus Romæ, iubar atque Olympi,
Tu faue nunc, Cæcilia, alma Virgo,
Sponsaq. Christi.
Horruit sponsus tua sacra membra
Tangere: & per te manibus supremi
Præsulis tinctus, superoq. credens,
Fonte renatus,
Ponè te vidit iuuenem corusca
Veste fulgentem, roseis & alis:
Vidit hunc frater simul eius, atque
Obstupuère.
Qui tuis verbis alacres bipenni
Colla dant fortes, resonantq. Christum.
Ipsa, dum restas, tribuens egenis,
Omnia spargis.
Propter hoc præses calefactus ira
Balnei in flammas iacit: at pepercit

Vt tribus quondam pueris, sacratis
Artubus ignis.
Ictibus crebris ferit ergo collum
Carnifex: sed non secuit. superstes
Triduò tandem properas ad almi
Oscula Regis.
E Rosis sertum, viridiq. lauro, &
Lilijs plectit tibi tutor ille,
Martyr, & virgo, thalamosq. sponsi hoc
Pulchra reuisis.
Impetra vitæ famulis nitorem
Alma, proq. ipso mala cuncta ferre:
Donet vt nobis meritis supernæ
Præmia Palmæ.
Præstet hoc nobis Deitas beata. &c.

IN S. CLEMENTEM
Papam, & Marty.

COELII montis decus, atque Romæ,
Petri & auditor, triplici Tiara,
Laureaq. ardens, modo nostra vota
Accipe, Clemens.
Et tuas audi, Pater alme, laudes.
Martyrum per te benefacta durant.
Paginis veris & enim notari
Hæc, pie, mandas.
Inde te Cæsar Lyciam relegat,
Quod fidem Christi sereres per vrbem.

Martyrum

Martyrum sed tu duo Martyr illic
Millia seruas.
Nam tibi oranti veniens ab astris
Agnus eduxit pede fontis vndam,
Qua sitim potans pepulère longam
Inclyta turba.
Impij credunt simul hæc videntes.
Vincta sed collo medias in vndas
Te maris (nam sic iubet ipse Cæsar)
Anchora mergit.
Surgit at templum Pario relucens
Marmore in ponto, refugitq. pontus
Cælitus: de hinc te populi frequentant,
Miraq. fulgent.
Nec minus doctis, nitidisq. scriptis
Nos iuuas. illic prece sed perenni
Adiuua Romam, famulosq. Doctor,
Magneq. Præsul.
Præstet hoc nobis Deitas beata. &c.

IN S. FELICITATEM Martyrem.

O Martyr alma, Martyrum
Septem parens fortissima
FELICITAS, feliciter
Gignens Polo tot sydera;
Laudes tuas en accipe.
Letbi ad tenebras cæteræ

Præcurre-

Præcurrere optant filios
Matres amantes pignora.
Præmittere at tu mascula
Desideraſti interrita.
Vt Laureatos in Polo
Hos repperires insequens.
Tormenta paſſos aſpera
Premens dolorem, conſpicis
Hos, duxq. tanquam ſtrennuus
Hortaris; vrges, incitas.
O pluſquam Martyr, mortua
In filijs iam ſepties,
Octaua tandem ſuſcipis
Tu Lauream certaminis.
His cum, beata, à cælitum
Rectore nobis impetra
Hanc ferream conſtantiam, et
Felicitatem temporum.
Præſta Pater pijſsime. &c.

IN S. CHRYSOGONVM Martyrem.

NVNC, Martyr alme, cantibus
Adeſſe noſtris poſcimus
Te; nanq. tu, Chryſogone,
Es dignus hymno, & laudibus.
Perſæpè ſancti Martyres
Multi die, vel horula

Tormen-

Tormenta passi, hinc deniq.
Superuolarunt sydera.
At tu tenebras carceris
In vrbe fers biennium,
Ope altus Anastasiæ
Deuotæ, & almæ fœminæ.
Quam mutuis epistolis
Solaris ipse sæpius.
Nam Christianam sæuiens
Vexabat hanc vir ethincus.
Hinc Aquileiam duceris
Iussu cruenti Cæsaris.
Qui tum reuinctos Martyres
Omnes necari iusserat.
Hicq. execrantem Dæmones,
Christumq. fassum fortiter
Te bile sæua percitus
Tunc is securi percutit.
Solare nos, Chrysogone,
Oratione nunc tua.
Et carcere huius corporis
Duc liberos ad æthera.
Laus, & perennis Gloria. &c.

IN S. CATHERINAM
Virg. & Marty.

C*ANTIBVS lætis celebremus omnes*
Virginis sacræ rutilans trophæum,

Annus

Annulo sponsam sibi quam reuinxit
Rector Olympi.
Tu potens virgo Pharijs in oris
Martyres tutans; CATHERINA, frangis
Dæmonum cultus, reserasq. Christo
Omnia subdi.
Spiritu & feruens sophia decoros
Tot viros multa ratione vincis:
Qui tibi assensi veneranda præbent
Colla securi.
Ardet hic acri rabie Tyrannus,
Et manus sæuas iubet expediri.
Nuda plumbatis tua membra primùm
Candida tundunt.
Hinc famem denis pateris diebus;
Carcere & cæco radians IESVS
Inserit gemmam digito, legitq.
Te sibi sponsam.
At rotæ horrentes gladijs acutis
Vt tuos artus lanient, parantur:
Quæ ruunt per te superos precantem
Cælitus ictæ.
Amputat tandem caput heu bipennis,
Vnde lac fluxit. Chorus Angelorum
Excipit corpus, sepelitq. celsi in
Vertice Sinæ.
Quæsumus, palma ò gemina refulgens,
Cuncta pro Christo vt patiamur aspra:
Eius vt sponsæ subeamus æthram
Lampade clara.

Sit Patri semper decus, atque nato
Virginum sponso, pariterq. sancto
Flamini, sub quo regitur, tremitq.
Machina mundi. Amen.

IN S. PETRVM ALEXANDRInum Episcopum, & Martyrem.

PRAESVL Canopi nobilis,
Ciuisq. præclarissime,
O Petre Martyr inclyte
Ne temne laudes nunc tuas.
Dux strenue, & fortissime
Contra duo fera agmina
Tu dimicas: cùm duceret
Tyrannus illa, hæc Arrius.
Ast ipse plenus spiritu
Istum tremendo fulmine
A cœtibus mortalium
Canens futura, diuidis.
Sic Christus ipse in carcere
Scissa in toga monstrauerat,
Ecclesiam tunc innuens:
Sequentibusq. hoc intonas.
At mox triumphas Cæsarem
Dum iussa temnis impia.
Tuoq. pro Christo ensibus
Dans colla, fundis sanguinem.
Aufer recentes hæreses
Tu nunc, beate. nam modo


Europæ partem maximam
Infecit alter Arrius.
Præsta, pater piissime. &c.

IN S. ANDREAM Apostolum.

TVOS triumphos pangimus
ANDREA victor per Crucem;
Apostole, huc tu lumina
Verte, hasq. laudes accipe.
Soli vt superno primitus
Lucerna ab illa fulgida
Hæsisti, linquens retia
Piscator es mortalium.
Ast vt reluxit intimo
Hic iam remotus ætheri,
Truces Scythas, quos vltima
Europa frænat, instruis.
Epiron, atque Thraciam
Hinc prædicando permeas;
Achaiæ & intras oppida,
Patrasq. tandem peruenis.
Atque hic Crucis mysterium
Verbis tremendis intonas,
Atque asseris miraculis,
Hortans ad hanc & præsidem.
Iratus ille denegat;

Teq. eleuantem Dæmones
Quam prædicabas imperat
Crucem ſubire amabilem.
Hanc ipſe adorans eminus
Aſcendis, & poſt biduum
Chriſto tuo ſimillimus
Tradis beatum ſpiritum.
Ob hoc fac, alme Apoſtole,
Noſtram Crucem nos tollere:
Ab ſteq. doctos per tua
Chriſtum ſequi veſtigia.
Te nunc, Redemptor, quæſumus.
Vt ipſorum conſortio
Iungas precantes ſeruulos
In ſempiterna ſæcula. Amen.

NOVEMBRIS FINIS.



DECEMBER.



IN S. BIBIANAM Virginem, & Marty.

MARTYRVM proles, generosa Virgo,
Roma quam fortem genuit, piamq.
Lumina hùc vertens, Bibiana, dignas
Accipe laudes.
Non minis aspris ferus imperator
Flexit, aut donis, placidisq. verbis,
Vt colens Diuos, iaceres ab alto
Pectore Christum,
NASCITVR nunquam ex Aquila Columba.
Sic parens olim docuit vterq.

Martyres Martyr sequeris, manesq.
Fortis agone.
Plumbeas & fers, rigidasq. massas.
Ictibus quæ sic tua contuderunt
Ossa, vt auulsus super euolarit
Spiritus astra.
Sanguinis fuco, niueoq. flore
Tu placens virgo, radians Donanti
Eius vltricis pia sponsa dextræ
Fulmina tarda.
Gloria patri, genitæq. proli. &c.

IN S. NICOLAVM EPIscopum, & Confess.

HVC ades Mitra, NICOLAE, fulgens,
Siue te cælum tenet, aut reuisis
Barium, sudant tua quà salubre
Balsamon ossa.
Et tuas audi celebres honores.
Tu puer corpus crucias tenellum,
Et semel certis repetis diebus
Vbera matris.
Remq. dispergens viridis iuuentà,
Nocte sub cæca iaculatus aurum
Virgines illas nitidas ab omni
Crimine seruas.
Scandis hinc puppim, placidoq. ponto

Nuntias

Nuntias nautis hyemem futuram.
Hanc sed orando rabidam secundo
Flamine placas.
Cælitus præsul Myreæ creatus
Carceris dudum pateris tenebras
Nomen ob Christi; rediensq. rursus
Liber ad auras,
Arrium cum tot patribus refellis.
Intuens tandem super astra, spectas
Angelos, quorum manibus, suprema
Carmina cantans
Spiritum tradis meritis opimum.
Alme, qui claram Pataram, magis quàm
Inclytæ sortes Lyciæ celebrem,
Reddis alumnus.
Propter hæc da nos tenuare corpos,
Et sequi Christum simul expeditos,
Vt simul tecum mereamur astra
Scandere cæli,
Sit salus illi decus, atque virtus. &c.

IN S. AMBROSIVM Episcopum, & Confes. & Eccles. Doctor.

TV nobis rutilans gloria præsulum,
Doctorumq. decus, carmina suggere,
Vt noster hilaris te chorus, AMBROSI,

Dignis laudibus efferat.
Siue arx te cohibet lucida ſyderum:
Seu templum patriæ vellere de ſuis
Dictæ concelebras, votaq. percipis,
Ad ſacros cineres volans.
Preſſiſſet puero cum tibi lumina
Somnus, raucisono murmure ſe vagum
Os, examen Apum contulit, in tuum,
Factis omine congruo.
Nanq. ex ore tuo fluxit, & è tuis
Scriptis vere nouo floridioribus
Melle, atque Ambroſia, & Nectare dulcior
Nunc facundia diffluit.
Tu Chriſti admonitu ſuſcipis infulas
Inuito populus quas tibi detulit.
Paſtorq. hæreticos vertis, & edoces:
Sanoq. inuigilas gregi.
Submisêre tuis ſe genibus ſacri
Faſces imperij, ſceptraq. regia.
Tu cætu ex hominum corda tyrannica
Sacro fulmine diuidis.
En idcirco tuis, poſcimus, aureis
Vt dictis moniti, factaq. fulgida
Mirantes, auidi te ſuper æthera
Sectemur, Pater inclyte.
Sit virtus, & honor, ſummaq. claritas
Patri, atque vnigenæ, & gloria Flamini
Sancto, qui pariter condidit, & regit
Mundum ſæcla per omnia. Amen.

IN CONCEPTIONE B. MARIAE.

CONCEPTIONEM Virginis
CHRISTI parentis, vndiq.
A labe cuncta candidam,
Puris canamus mentibus.
Mundo laturus languido
Opem, creator ſyderum,
Hanc ſibi vt tabernaculum
Purum parauit integrum.
Nec hoſtis vnquam repperit
Serpens in illa, quod ſibi
Anſam daret, qua perdere
Hanc potuiſſe diceret.
Futura mater eſt Dei.
Nec vlla labes inficit.
Namq. ipſe lux eſt, & Polus
Hunc ante non eſt ſplendidus.
Tu Luna præter nubila,
Columba tota candida,
Tu Virgo Ieſſe florida,
Nullisq. nodis aſpera.
MARIA, ceu Sol fulgida:
Dei parens ſanctiſſima:
Summi parentis filia,
Et ſponſa ſancti Spiritus.

Hanc propter ergo gratiam
Integritatis, poscimus
Vt sorde ab omni candidos
Nos retrahas ad æthera.
Gloria tibi Domine
Qui natus es de Virgine, &c.

IN S. DAMASVM PApam, & Confessorem.

PVLCHER Tiara Pontifex.
Poeta cincte Laurea,
Honos, decusq. Hispaniæ
Salue, beate Damase.
Et gratias quas reddimus
Cum canticis, nunc accipe
Causis tibi de plurimis
Debet Latina Ecclesia.
Per te ex Hebræo suscipit
Versam sacratam paginam.
Per te recentes Hæreses
De præliantem corruunt.
Alterna psalmos in choris
Per te Camæna concinit.
Claudensq. Corollario
Dat Trinitati gloriam.
Per teq. inimus cùm sacra,
Nos confitemur crimina.

Te

Te laudat & virginitas
Laudata per te carmine.
Debetq. Roma non minus
Pro molibus, quæ construis.
Immane templum Martyri
Nam ponis augens prædijs.
Platoniamq. dedicans
Doctis perornas versibus.
Quare hinc petenti sydera
Petrus reclusit æthera.
Et Lauream Laurentius
Grates agens tibi obtulit;
Hic nunc Deum tu concinens
Placa, sacerdos maxime.
Deo Patri sit gloria. &c.

IN S. LVCIAM VIRGInem, & Martyrem.

HVC luce splendens ætheris,
Spectanda in ostro LVCIA
Ades, virensq. Laurea
Tuos triumphos accipe.
Tu luce verborum micas,
Queis præsidem redarguis;
Cùm sæuus ignes, verbera
Minatur ille, & vngulas.
Tu luce factorum nites:

Cùm

Cùm das egenis debitam
Dotem tibi; atque immobilis
Stas viribus mortalium.
Nam non lupanar te manet:
Sed alta cœli Regia.
Tyranne, quid vis petrahi,
Si fixit hanc vis cœlica?
Hinc vallat ignis vndique
Resina adauctus, & pice.
Artus tuos sed virgines
Non ausa flamma est tangere.
Noctes malorum deniq.
Transisse nostris, Lucifer,
Diemq. adesse lucidum
Aurora læta annuntias.
Mucrone nanq. iugulum
Transfixa, plena spiritu,
Tranquillitatem temporum
Tu Christianis præcinis.
Syracusarum te decus
Precamur, alma LVCIA,
Oculis vt hæc lux luceat
Per te, & superna cordibus.
Laus, & perennis gloria, &c.

IN S. THOMAM Apoſtolum.

QVIS tibi dignas canat vſque laudes
O comes Chriſti Galilææ THOMA,
Didyme Auroræ populis refulgens
Lucifer, & Sol?
Claruit poſtquam patefacta per te
Iam fides nobis magis, atq. tractans
Tu cicatrices, Dominum, Deumq. es
Deniq. faſſus.
Tendis ad dites Orientis oras,
Et doces Medos, celeresq. Parthos,
Brachmanas, Perſas; pariterq. Bactris
Sydera pandis.
Inde nigrantes penetrans ad Indos
Dæmonas tollis: tribuis ſalutem;
Cælica & vita, rutilisq. miris
Inſtruis omnes.
At Deum cultor ferus, improbus Rex
Confodi telis iubet. ipſe Martyr
Aetherem ſcandis: Calamina corpus
Læta recondit.
Sancte, cui libat venerans Eous,
Dum colit ſacrum tumulum Sacerdos,
Quem modo Oracli petit, & frequentat
Accola Gangis.

Fac vt ignorans Oriens in illum
Certior per te, digitosq. factus
Credat in cuius penetrasti hiulca
Vulnera dextra.
Sit Patri summo decus, atq. Nato
Qui suis in Discipulis refulget
Cum sibi æquali, ac vtriusq. Sancto
Flamine semper. Amen.

IN NATIVITATE DOMINI nostri IESV CHRISTI.

AVREAS dum Nox agitat quadrigas
Solis aduentum superi canamus
Qui per intactæ genitricis aluum
Orbe refulsit.
Qui Patre æterno genitus priusquam
Lucifer cælo rutilaret, & qui
Ore promissus, celeberq. vatum
Gentibus olim,
Nascitur mundo noua lux, salusq.
Hoc die, cælos homini daturus.
Gaudium læti geminemus omnes
Mira tuentes.
En parit Virgo, remanetq. Virgo.
Nascitur, vagit, iacet inq. fœno
Fascia cinctus Deus. & parentis
Vbera suggit.

Indi-

Indicant Regem tacitas per auras
Angeli natum, placitamq. terris
Nuptiant pacem, puerumq. claro
Agmine cingunt.
Teq. Pastores vigiles adorant
Omnium Pastor. reserata cæli
Gratias omnes misero refundit
Ianua mundo.
Nascere in nostris nitidis precamur
Mentibus, tu qui genitrice ab alma
Natus es nobis hodie, Redemptor
Orbis IESV.
Et per hanc sacram, roseamq. noctem
Fac die æterno, & rutilo fruamur:
Qua tua tu Sol radians beatos
Lampda lustras.
Gloria Patri, genitæq. proli. &c.

IN S. STEPHANVM Protomartyrem.

MARTYRIS primi STEPHANI coronas,
Atq. cantemus roseos triumphos,
Qui sacrum nomen decorando factis
Aethera scandit.
Prælio qualis ferus in cruento
Iam Ducem propter medios per hostes
Irruit miles: gladij nec ipsum,
Telauè terrent.

Talis

Talis in sæuo radians agone
Proximus CHRISTO, *rapidusq. cunctos*
Ipse præuertens, subis astra fuso
Sanguine pulcher.

Te tuis veris lacerata dictis
Appetit saxis vlulans Idume.
Signa sed Christi sequeris sonanti
Grandine pulsus.

Eleuansq. altos oculos, IESVM
Iam tibi astantem reserato Olympo
Cernis ad dextram Patris, & coronas
Inde parantem.

Pro tuis tandem, Dominum secutus,
Hostibus oras: animamq. sertis
Lucidis pulchram, niueisq. Palmis
Mittis ad astra.

Sic face vt nobis inimicus haud sit
Vllus exosus; patienter atque
Dura pro Christo tolerare da nos
Inclyte Martyr.

Martyrum princeps, decus, & corona,
Martyrum da nos choreis adesse,
Qua Pater tecum, pariterq. regnat
Spiritus almus. Amen.

IN S. IOANNEM APOSTOLVM & Euangeliſtam.

AD VESPERAS.

VT tuis dignum nitidi canamus
Laudibus carmen; faueas: in horto
Siue terreſtri, ſuperoùe gaudes
Sancte IOANNES.
Conditor ponti virides per algas
Rete ſiccantem vocat, atque dat te
Poſſe mortales capere, inq. Olympum
Ducere verbis.
Gloriam pandens tibi, transfigurat
Monte ſe celſo: pariterq. lethi
Deprecaturus calicem parentem,
Ducit in hortum.
Cœna in extrema ſuper eius almum
Pectus accumbis; bibis indeq. hauſtus
Fomis æterni, quibus alta potus
Flumina ructas.
Gloria Patri, genitæq. proli. &c.

AD MATVTINVM.

MAIVS at ſignum dedit hoc amoris,
Quod Cruci affixus, morienq. matrem

Vir-

Virginem natu tibi Virgini re-
linquit amatam.
Ac resurgentem prius ipse nosſis.
Inde doctrinis Asiam, peragrans,
Imbuis ſanctis: noua tuncq; nata
Monſtra refellis.
Spiritu nam tu ſuper aſtra raptus
Intonas verbum genitum, Deumq.
Audiens quod vix capit: at paueſcens
Mundus adorat.
Inſula in Pathmo generoſus exul
Fine quæ mundi facienda cernis,
Nam reuelauit tibi tunc magiſter
Maxime vates.
Gloria Patri, & tibi flamen almum. &c.

AD LAVDES.

TOLLERE haud vis te potuit veneni:
Et tibi feruens oleum pepercit:
Nuſpiam tandem tumulo repoſtus
Cerneris inde.
O ſuper cunctos ſocios amate
CHRISTO, Iohannes, rutilansq. Virgo,
Scriba cæleſtis, ſuperiq. magne
Nuntie verbi.
Integer Lauro redimite Martyr,
Nubila euincens Aquila alta claros
Solis

Solis æterni radios aperto
Lumine spectans;
Charitas flammis superis adurat,
Castitas purget: radietq. iam lux
Clara doctrinæ, sapientiæq.
Pectora nostra.
Vt tua magna prece nos iuuante,
His & innixi mereamur illud
Ipse quod temet superans tonasti,
Cernere verbum.
Gloria Patri, & tibi Flamen almum,
Filio & Verbo, caro factus est qui
Duceret quo nos homines in altum
Aethera Diuos. Amen.

IN SS. INNOCENTES Martyres.

O Martyrum primitiæ,
Deo placentes victimæ,
Agni Innocentes candidi,
Sparsoq. rubri sanguine:
Saluete, vbi per Lilia
Palma, & corollis floridi
Agnum sacrum sectamini
Quocunq. hic exultauerit.
Verens Tyrannus eijci
De sede iuxtà oraculum,

Vos vnà atroci perdere
Ferro Satelliti imperat.
Quales tenellos hædulos
Lupi in ouili euiscerant.
Talis ministrorum cohors,
Vos lachrymantes dissecăt.
Mœstæ parentes vlulant:
Vagitus ipsi saucij:
Truncata membra decidűt:
Fluĉta manant sanguinis.
At gaudet ipse Rex ferus,
Siccoq. spectat lumine.
Sed quid, Herodes, profuit
Tantum nefas committere?
Aufugit ille, quem petis,
Matrūq. quos amplexibus
Auellis, atq; interficis,
Sinu ipse Abramus excipit.
Nunc vos, beatæ animulæ,
Offerte nostras, poscimus,
Regi coæuo lachrymas,
Pro quo tulistis vulnera.
Gloria tibi Domine
Qui natus es de Virgine. &c.

IN S. THOMAM CANtauriensem Episcopum & Martyrem.

ALME, Londini decus, & Britannis
Sydus, ò duris Rosa nata spinis,
THOMA, quo Cantauria iactat altum
Præsule nomen;
Quos tibi dignos meditamur hymnos
Accipe, ò sanctum, rigidumq. pectus;
Quod prece haud flexit, minitansue Rector
Terruit Anglus.
Hinc furens ergo fugat exulem te,
Ac tibi affines, pariterq. amicos;
Qui suò nec te potuère tristi
Flectere planctu.
Pergis hinc Romam, meritoq. honore
Excipit summus sacer ille Pastor:
Galliæ & Rex, qui prece te Britannis
Restituère.
Hic regens sanctè, nitideq. viuens,
Dum vacans cœlo solitas celebras
Vesperiq. horas; procul en satelles
Emicat armis;
Regis huc actus grauibus querelis.
At fores pandens velut Agnus offers
Sponte te Letho, gladioq. præbes
Colla nefando.

Cygne, qui vita niuea refulgens,
Ac Deo extremas modulando laudes
Ad fores templi, super euolasti
Sydera truncus.
Hos, rogans, versus itera Tonantis
Auri, Vt auertat populos Britannos
Orbita ex Orci, colat vtq. sana
Anglia CHRISTVM.
Præstet hoc nobis Deitas beata. &c.

IN S. SYLVESTRV
Papam, & Confessorem.

TVPPIS, ò sacræ sapiens magister,
Dexter, ac felix (tibi nanque clauo
Tradito cessit fugiens procella
Aequore toto,
Vt Constantino radians ab alto
Crux triumphalis bona iam spopondit)
Magne SYLVESTER modo salue, & istos
Accipe cantus.
Ipse Soractis veniens latebris,
Mystico hunc tingis, liquido lauacro;
Quo simul labes animo, fugitq.
Corpore lepra.
Aureas Christo, pariterq. Sanctis
Condit hic ædes; simul hasq. ritè
Ipse consacras. Crucis hinc Trophæum
Orbe triumphat.

Hære-

Hæreseſq. ortas, pater alme, frangis
Præſules cogens. tibi Roma teſtis,
Atque Nicæa eſt, quibus hæ fuēre
Cælitus ictæ.

Chriſma dehinc mandas fieri, doceſq.
Illius vſum. ſimul inſtituta
Plura, & acceptos pietate ritus
Sancte, relinquis.

Te colunt cæli Domino vacantes
Feriæ: patrem vocitant egeni.
Atque agit grates tibi Virgo clauſtris
Alta ſacratis.

Tu tuam Romam, Cathedramq. Petri
Protege æterna prece. nos & æuum
Dum ſumus grati ſuperis, Deoque,
Claudere dona.

Præſtet hoc nobis Deitas beata
Patris, ac Nati, pariterq. Sancti
Spiritus, cuius reboat in omni
Gloria mundo. Amen.

DECEMBRIS, HYMNORVMQ.
Libri Secundi Finis.

MVTII SFORTIAE
HYMNORVM
Liber Tertius.

FESTA MOBILIA COMPLECTENS.

AD SANCTISS. D. N. CLEMENTEM VIII. PONT. MAX.

In Aduentu Domini.

AD VESPERAS.

ADVENIT CHRISTVS superis ab astris:
Et suo tanquam thalamo è pudico
Prodiens Sponsus, genitricis almæ
Fulget ab aluo.
Noctis vt pellit tenebras ab ortu
Sol micans: sic vt fuget ipse noctes
Criminum diras, vtero ex honesto
Virginis ardet.
Ardet, ast armis radians caducæ
Carnis. Vtq. hostem superet nefandum,
Vt Gigas currit, propria reportans
Morte triumphos.
Aduenit; nostras animas paremus;

Pocula damnans.
Dum quaterdenas nihil ille luces
Est sacer Moses, fruitur superni
Regis affatu, populoq. leges
Tradit Hebræo.
Dum quaterdenis nihil in diebus
Elias gustat, velut actus alto
Ad Dei montem properans, cacumen
Contigit Oreb.
Dum quadraginta, Deus alme, Soles
CHRISTE, ieiunas, Erebi Tyrannum
Vincis, inuicto & superùm caterua
Læta ministrat.
Hoc ad exemplum caro, mensq. nostra
Munda ieiunet, superis adesse
Si choris illis: cupimusq. ab hoste
Ferre triumphos.
Gloria patri, pariliq. proli. &c.

IN QVADRAGESIMA.

HOS dies ergo niueos, sacrosq.
Vt decet, priscas maculas lauantes
Planctu; & attritos sine labe puros
Degere nos fac.
Vt stolis albis, nitidisq. amicti
Te resurgentem celebremus hymnis:
Teq. iam nostrum mereamur almum
Sumere

Sumere Pascha.
Huius vt mundi lachrymosa Eremo
Iam peragrata, miseros, gementes,
Atque pertæsos scelerum priorum
Dux bone IESV
Nos in excelsam, rutilamq. terram
Lacte manantem, superoq. melle
Ipse perducas stygios triumphans
Inclytus hostes.
Da Pater, Fili, ac vtriusq. flamen,
Vt tibi ieiunia grata nostra
Sint, & hæc propter famulis remitte
Crimina clemens. Amen.

IN PASSIONE DOMINI.

IAM diem vexit reuolutus annus
Qua Redemptoris, Dominiq. nostri
Passio nobis celebratur, & Crux,
Morsq. salubris.
CHRISTE, mens summi Patris, & potestas,
Tanta quæ nam te pietas coëgit,
Vt Deus nobis homo factus, orbis
Totius author,
Oblitus sputis, redimitus aspris
Antea spinis, trucibus flagellis
Sectus, irrisus, Cruce pressus, & post
Pocula fellis,

Fac vt ignorans Oriens in illum
Certior per te, digitosq. factus
Credat in cuius penetrasti hiulca
Vulnera dextra.
Sit Patri summo decus, atq. Nato
Qui suis in Discipulis refulget
Cum sibi æquali, ac vtriusq. Sancto
Flamine semper. Amen.

IN NATIVITATE DOMINI nostri IESV CHRISTI.

AVREAS dum Nox agitat quadrigas
Solis aduentum superi canamus
Qui per intactæ genitricis aluum
Orbe refulsit.
Qui Patre æterno genitus priusquam
Lucifer cælo rutilaret, & qui
Ore promissus, celeberq. vatum
Gentibus olim,
Nascitur mundo noua lux, salusq.
Hoc die, cælos homini daturus.
Gaudium læti geminemus omnes
Mira tuentes.
En parit Virgo, remanetq. Virgo.
Nascitur, vagit, iacet inq. fœno
Fascia cinctus Deus. & parentis
Vbera suggit.

Indi-

Indicant Regem tacitas per auras
Angeli natum, placitamq. terris
Nuptiant pacem, puerumq. claro
Agmine cingunt.
Teq. Pastores vigiles adorant
Omnium Pastor.reserata cæli
Gratias omnes misero refundit
Ianua mundo.
Nascere in nostris nitidis precamur
Mentibus, tu qui genitrice ab alma
Natus es nobis hodie, Redemptor
Orbis IESV.
Et per hanc sacram, roseamq. noctem
Fac die æterno, & rutilo fruamur:
Qua tua tu Sol radians beatos
Lampda lustras.
Gloria Patri, genitæq. proli. &c.

IN S. STEPHANVM Protomartyrem.

MARTYRIS primi STEPHANI coronas,
Atq. cantemus roseos triumphos,
Qui sacrum nomen decorando factis
Aethera scandit.
Prælio qualis ferus in cruento
Iam Ducem propter medios per hostes
Irruit miles: gladij nec ipsum,
Telauè terrent.

Talis

Talis in sæuo radians agone
Proximus CHRISTO, rapidusq. cunctos
Ipse præuertens, subis astra fuso
Sanguine pulcher.

Te tuis veris lacerata dictis
Appetit saxis vlulans Idume.
Signa sed Christi sequeris sonanti
Grandine pulsus.

Eleuansq. altos oculos, IESVM
Iam tibi astantem reserato Olympo
Cernis ad dextram Patris, & coronas
Inde parantem.

Pro tuis tandem, Dominum secutus,
Hostibus oras: animamq. sertis
Lucidis pulchram, niueisq. Palmis
Mittis ad astra.

Sic face vt nobis inimicus haud sit
Vllus exosus; patienter atque
Dura pro Christo tolerare da nos
Inclyte Martyr.

Martyrum princeps, decus, & corona,
Martyrum da nos choreis adesse,
Qua Pater tecum, pariterq. regnat
Spiritus almus. Amen.

IN

IN S. IOANNEM APOSTOLVM & Euangelistam.

AD VESPERAS.

VT tuis dignum nitidi canamus
Laudibus carmen; faueas: in horto
Siue terrestri, superoùe gaudes
Sancte IOANNES.
Conditor ponti virides per algas
Rete siccantem vocat, atque dat te
Posse mortales capere, inq. Olympum
Ducere verbis.
Gloriam pandens tibi, transfigurat
Monte se celso: pariterq. lethi
Deprecaturus calicem parentem,
Ducit in hortum.
Cœna in extrema super eius almum
Pectus accumbis; bibis indeq. haustus
Fomis æterni, quibus alta potus
Flumina ructas.
Gloria Patri; genitæq. proli. &c.

AD MATVTINVM.

MAIVS at signum dedit hoc amoris,
Quod Cruci affixus, morienq. matrem
Vir-

Virginem natu tibi Virgini re-
linquit amatam,
Ac resurgentem prius ipse nossis.
Inde doctrinis Asiam, peragrans,
Imbuis sanctis: noua tuncq; nata
Monstra refellis.
Spiritu nam tu super astra raptus
Intonas verbum genitum, Deumq.
Audiens quod vix capit: at pauescens
Mundus adorat.
Insula in Pathmo generosus exul
Fine quæ mundi facienda cernis,
Nam reuelauit tibi tunc magister
Maxime vates.
Gloria Patri, & tibi flamen almum. &c.

AD LAVDES.

TOLLERE haud vis te potuit veneni:
Et tibi feruens oleum pepercit:
Nuspiam tandem tumulo repostus
Cerneris inde.
O super cunctos socios amate
CHRISTO, Iohannes, rutilansq. Virgo,
Scriba cælestis, superiq. magne
Nuntie verbi.
Integer Lauro redimite Martyr,
Nubila euincens Aquila alta claros

Solis

Solis æterni radios aperto
Lumine spectans;
Charitas flammis superis adurat,
Castitas purget: radietq. iam lux
Clara doctrinæ, sapientiæq.
Pectora nostra,
Vt tua magna prece nos iuuante,
His & innixi mereamur illud
Ipse quod temet superans tonasti,
Cernere verbum.
Gloria Patri, & tibi Flamen almum,
Filio & Verbo, caro factus est qui
Duceret quo nos homines in altum
Aethera Diuos. Amen.

IN SS. INNOCENTES Martyres.

O Martyrum primitiæ,
Deo placentes victimæ,
Agni Innocentes candidi,
Sparsoq. rubri sanguine:
Saluete, vbi per Lilia
Palma, & corollis floridi
Agnum sacrum sectamini
Quocunq. hic exultauerit.
Verens Tyrannus eijci
De sede iuxtà oraculum,

Vos vnà atroci perdere
Ferro Satelliti imperat.
Quales tenellos hædulos
Lupi in ouili euiscerant.
Talis ministrorum cohors,
Vos lachrymantes dissecāt.
Mœstæ parentes vlulant:
Vagitus ipsi saucij:
Truncata membra decidūt:
Fluĉta manant sanguinis.
At gaudet ipse Rex ferus,
Siccoq. spectat lumine.
Sed quid, Herodes, profuit
Tantum nefas committere?
Aufugit ille, quem petis.
Matrūq. quos amplexibus
Auellis, atq; interficis,
Sinu ipse Abramus excipit.
Nunc vos, beatæ animulæ,
Offerte nostras, poscimus,
Regi coæuo lachrymas,
Pro quo tulistis vulnera.
Gloria tibi Domine
Qui natus es de Virgine. &c.

IN S. THOMAM CANtauriensem Episcopum & Martyrem.

ALME, Londini decus, & Britannis
Sydus, ò duris Rosa nata spinis,
THOMA, quo Cantauria iactat altum
Præsule nomen;
Quos tibi dignos meditamur hymnos
Accipe, ò sanctum, rigidumq. pectus;
Quod prece haud flexit, minitansue Rector
Terruit Anglus.
Hinc furens ergo fugat exulem te,
Ac tibi affines, pariterq. amicos;
Qui suò nec te potuère tristi
Flectere planctu.
Pergis hinc Romam, meritoq. honore
Excipit summus sacer ille Pastor:
Galliæ & Rex, qui prece te Britannis
Restituère.
Hic regens sanctè, nitidèq. viuens,
Dum vacans cœlo solitas celebras
Vesperiq. horas; procul en satelles
Emicat armis;
Regis hùc actus grauibus querelis.
At fores pandens velut Agnus offers
Sponte te Letho, gladioq. præbes
Colla nefando.

Cygne, qui vita niuea refulgens,
Ac Deo extremas modulando laudes
Ad fores templi, super euolasti
Sydera truncus.
Hos, rogans, versus itera Tonantis
Auri, Vt auertat populos Britannos
Orbita ex Orci, colat vtq. sana
Anglia CHRISTVM.
Præstet hoc nobis Deitas beata. &c.

IN S. SYLVESTRV
Papam, & Confessorem.

TVPPIS, ò sacræ sapiens magister,
Dexter, ac felix (tibi nanque clauo
Tradito cessit fugiens procella
Aequore toto,
Vt Constantino radians ab alto
Crux triumphalis bona iam spopondit)
Magne SYLVESTER modo salue, & istos
Accipe cantus.
Ipse Soractis veniens latebris,
Mystico hunc tingis, liquido lauacro;
Quo simul labes animo, fugitq.
Corpore lepra.
Aureas Christo, pariterq. Sanctis
Condit hic ædes; simul hasq. ritè
Ipse consacras. Crucis hinc Trophæum
Orbe triumphat.

Hære-

Hæresesq. ortas, pater alme, frangis
Præsules cogens. tibi Roma testis,
Atque Nicæa est, quibus hæ fuere
Cælitus ictæ.

Chrisma dehinc mandas fieri, docesq.
Illius vsum. simul instituta
Plura, & acceptos pietate ritus
Sancte, relinquis.

Te colunt cæli Domino vacantes
Feriæ: patrem vocitant egeni.
Atque agit grates tibi Virgo claustris
Alta sacratis.

Tu tuam Romam, Cathedramq. Petri
Protege æterna prece. nos & æuum
Dum sumus grati superis, Deoque,
Claudere dona.

Præstet hoc nobis Deitas beata
Patris, ac Nati, pariterq. Sancti
Spiritus, cuius reboat in omni
Gloria mundo. Amen.

DECEMBRIS, HYMNORVMQ.
Libri Secundi Finis.

MVTII SFORTIAE

HYMNORVM

Liber Tertius.

FESTA MOBILIA COMPLECTENS.

AD SANCTISS. D. N. CLEMENTEM VIII. PONT. MAX.

In Aduentu Domini.

AD VESPERAS.

ADVENIT CHRISTVS superis ab astris:
Et suo tanquam thalamo è pudico
Prodiens Sponsus, genitricis almæ
Fulget ab aluo.
Noctis vt pellit tenebras ab ortu
Sol micans: sic vt fuget ipse noctes
Criminum diras, vtero ex honesto
Virginis ardet.
Ardet, ast armis radians caducæ
Carnis. Vtq. hostem superet nefandum,
Vt Gigas currit, propria reportans
Morte triumphos.
Aduenit; nostras animas paremus;

Lampadasq. illi rutilas geramus
Obuij; & tantum capiamus æquo
Pectore numen.
Ne supra ardentem fluuium coruscans,
Cùm rigens Iudex aderit secundò;
Nos pigros damnet, meritosq. tristem
Mittat ad Orcum.
Sit decus Patri, pariliq. proli
Quæ venit nos vt miseros Auerno
Eruat: laus sit tibi, Flamen almum,
Omne per æuum. Amen.

IN ADVENTV AD LAVDES.

PATRIS æterni iubar, atque imago
CHRISTE, qui pura veluti, leuiq.
Nube diuinos radios amictus
Missus ab altò,
Carne mortali, fragiliq. tectus
Languido Mundo citus adfuisti
Tempore accepto, placitæ salutis
Prouidus author.
Gratiæ dulci, superoq. rore
Visita nostras animas, precamur:
Vt tibi fructus pariant in æuum
Omne manentes.
Cumque, ceu turbo venies in hora
Mortis, hinc vellens, superas ad auras

Tolle

Tolle nos claros meritis, tuoq.
Sanguine mundos.
Vt simul tecum quoque, cum secundò
Igne sed iudex aderis tremendus,
Ad tuam dextram benedicta turba
Astra petamus.
Cum Patre æterno tibi, cumq. sancto
Spiritu, ò Fili, sit honos, decusque,
Aduolans cum queis habita, precamur;
Pectora nostra. Amen.

IN QVADRAGESIMA.

EN dies sancti redeunt: facessat
Luxus à nobis procul, & voluptas;
Exulet crimen: reuocata Virtus
Clara triumphet.
Quæq. peccauit caro iam rebellis
Fracta subdatur. dominetur ipse
Spiritus victor, vitijs, & omni
Crimine purus.
Regnat vt nunc ver, & hyems recessit.
Sic & in nobis Deus ipse regnet
Flore virtutum: tenebræq. cedant
Dæmonis atræ.
Casta ieiunet maculas abhorrens
Mens, quaterdenis caro & bis diebus
Maceret sese, vetitos cibosque, &

Pocula damnans.
Dum quaterdenas nihil ille luces
Est sacer Moses, fruitur superni
Regis affatu, populoq. leges
Tradit Hebræo.
Dum quaterdenis nihil in diebus
Elias gustat, velut actus alto
Ad Dei montem properans, cacumen
Contigit Oreb.
Dum quadraginta, Deus alme, Soles
CHRISTE, ieiunas, Erebi Tyrannum
Vincis, inuicto & superùm caterua
Læta ministrat.
Hoc ad exemplum caro, mensq. nostra
Munda ieiunet, superis adesse
Si choris illis: cupimusq. ab hoste
Ferre triumphos.
Gloria patri, pariliq. proli. &c.

IN QVADRAGESIMA.

HOS dies ergo niueos, sacrosq.
Vt decet, priscas maculas lauantes
Planctu; & attritos sine labe puros
Degere nos fac.
Vt stolis albis, nitidisq. amicti
Te resurgentem celebremus hymnis:
Teq. iam nostrum mereamur almum

Sumere Pascha.
Huius vt mundi lachrymosa Eremo
Iam peragrata, miseros, gementes,
Atque pertæsos scelerum priorum
Dux bone IESV
Nos in excelsam, rutilamq. terram
Lacte manantem, superoq. melle
Ipse perducas stygios triumphans
Inclytus hostes.
Da Pater, Fili, ac vtriusq. flamen,
Vt tibi ieiunia grata nostra
Sint, & hæc propter famulis remitte
Crimina clemens. Amen.

IN PASSIONE DOMINI.

IAM diem vexit reuolutus annus
Qua Redemptoris, Dominiq; nostri
Passio nobis celebratur, & Crux,
Morsq. salubris.
CHRISTE, mens summi Patris, & potestas,
Tanta quæ nam te pietas coëgit,
Vt Deus nobis homo factus, orbis
Totius author,
Oblitus sputis, redimitus aspris
Antea spinis, trucibus flagellis
Sectus, irrisus, Cruce pressus, & post
Pocula fellis,

Scanderes lignum, geminos latrones
Inter excelſus, fluuios cruoris
Quattuor fundens, patereris haſtam
Findere pectus?
Horridis vt nos tenebris Auerni
Innocens ſontes raperes: & aſtris
Inferens cæli, ſuperùm locares
Inter honores?
CRVX aue, cunctis veneranda ſæclis,
Qua triumphauit Stygium Tyrannum
Rex Poli victor. reſeransq. cœlum
Tartara clauſit.
Sanguis atque Agni pretioſe ſalue,
Abluens mundum, maculaſque: nos te
Fronte ſignatos fugiat, trematq.
Arbiter Orci.
Gloriæ & tu Rex Crucifixe, nobis
Da reis clemens veniam, tuoq.
Sanguine ablutos patriæ ſupernæ
Redde colonos. Amen.

PASCHA, IN RESVRRECTIONE Domini.

TARTARI en clauſtris validis refractis:
Dite frænato, Furijſq. vinctis:
Surgit exultans ſpolijs opimis
Rector Olympi.

Ille

Ille qui sæuis manibus peremptus
Conditus clauso fuerat sepulcro,
Destruit mortem moriens, & alma
Luce triumphat.
En Lupi immanis rapit ex hiatu
Quas oues seclis retrò deuorarat
Agnus, vltrò qui tulit immolatus
Crimina mundi.
Iam patet rupes tumuli, iacetq.
Linteum; ducens acies ouantes
Ipse iam regnas, placitoq. mundum
Lumine lustras.
Victor, en purus tibi ridet æther:
Floribus tellus tibi pingit arua:
Teq. victorem volucres canore
Manè salutant.
Nosq. fleramus tua qui cruenta
Funera, ex Orci manibus redempti
Laureis clari; niueisq. Palmis
Panginus hymnos.
Atque iò victor, canimus triumphum.
Excita tu nos misera profundi ex
Morte peccati, nitidosq. duc ad
Mœnia cœli.
Cum Patre æterno tibi, cumq. sancto
Spiritu, Inferno Deus ò resurgens,
Clara sit victoria, laus, honorq.
Omne per æuum. Amen.

IN ASCENSIONE DOMINI.

AETERNAS, superi, pandite ianuas:
Portas, ætherei, tollite, Principes:
Stellans lætitia Regia personet:
Cœli & clangite vos tubæ.
En Rex purpurea fulgidus in stola,
Et mille implicitus tempora Laureis:
Vltrò qui fuerat passus ab hostibus
Mortem, sæuaq. vulnera:
Surgens à tumulo victor ad æthera
Prostratis Furijs, Regeq. Tartari,
Et captiua trahens agmina, candida
Ad vos nube reuertitur.
Iam sedes vacuas occupat en homo,
E queis corruerat Lucifer anteà.
Lætemur, residet Patris ad arduam
Dextram Filius inclytus:
Quid tu, sancta parens? Vos quid, Apostoli,
Fletis, ceu vidui, Chrismatis in iugo?
Promissus veniet Spiritus: ipseq.
Vobis sydera præparat.
At tu, CHRISTE Deus, culmine qui sedes
Cœli stellifero, prospice nos tuos,
Nostra hinc eripiens cordaq. subleua,
Ad teq. attrahe gratia.
Ne, cum terribilis nube sub horrida

 Iam

Iam Iudex aderis, nos Stygis ad nada
Mittas pro meritis: inter at agmina
Cœli Rex pius inſeras.
Cum Patre, atque ſacro Flamine gloria
Sit ſemper tibi, Rex, qui pede Tartara
Calcans victor iò, ſcandis ad æthera
Miſſurus tua munera. Amen.

IN FESTO PENTECOSTES.

GAVDIIS tellus reſonat ſupernis:
Gaudio cœlum reboat recenti:
Mira cernuntur: ſtupet orbis: & lux
Panditur alma.
Spiritus ſanctus rutilans ab alto
Igneis linguis famulos IESV
Clarus accendit, variasq. linguas
Edocet vltrò.
Non vt in Sina populo pauenti
Lampade, & fumo, & tonitru, tubaq.
Tradidit ſcriptas rigidas rigenti in
Marmore leges.
Ignis at feruens, & amor tenellis
Cordibus ſcribens noua iura, nosq,
Iam parens natos ſibi nil merentes
Gratis adoptans.
QVI prius mæſti, & timidi latebant:
Numine afflati, veluti Leones

Prodeunt coràm, Dominiq. magnæ
Munera fantur.
Barbarus, Græcus stupet, & Latinus,
Audiens lingua propria loquentes
Quisque; at Hebræus fremit, ebriosq.
Dictitat esse.
Hoc Duce at gentes penetrant, docentque;
Corda conuertunt, peraguntq. mira;
Prædicat CHRISTVM: simul vnde CHRISTVM
Personat orbis.
Spiritus nunc tu Paraclete nostris
Sensibus lumen, nitidoq. amorem
Pectori infunde: vt Duce te, premamus
Astra beati.
Sit Patri semper decus, atque Nato,
Spiritu & sancto, manifestus hac qui
Luce scintillans reserauit orbi
Munera CHRISTI. Amen.

IN VIGILIA S. TRINITATIS
Ad Vesperas.

IAM misit almum Filium
Summus parens ab æthere.
Parens Parenti Filius
Impleuit alunm Virginis.
Atque vt peregit omnia
Mandata Patris, sydera

Scandit,

Scandit, suis Apostolis
Sanctum daturus spiritum,
Diuisus ignis splendidas
Linguæ in figuras, insonat,
Fari docens; & concremans
Amore sanctus Spiritus.
Ob hoc, beata Trinitas,
Nunc dedicamus hoc tibi
Festum; tuæ cùm Gloriæ
Impleta sint mysteria.
Tu nunc, Creatrix omnium
O Trina simplex vnitas,
Da cuncta nobis munera,
Et mentium concordiam.
Simusq. vt vnum perpetim,
Præsta, Pater, potentiam:
Tu, Nate, sapientiam;
Tu sancte, amorem, Spiritus.
Sit Trinitati gloria,
Cuius fruamur lumine
Per eius almam gratiam
In sempiterna sæcula. Amen.

IN FESTO S. TRINITATIS
Ad Matutinum.

VT queant dignis reserare verbis
Qui Deus trinus, famuli, sis vnus,

Trinitas simplex, opifexq. mundi
Suggere lumen.
Dum Deus sese pater intuetur
In suæ lucis speculo perenni:
Filium gignit, Genitoris est qui
Dulcis imago.
Par ei in cunctis, similis, coæua.
Hac at inspecta, genitaq. gaudet:
Ardet, amplexu souet, atque amore
Perpete vincit.
Filius contrà, rutilansue imago
Intuens Patrem, redamat vicissim.
Hinc Amor feruens, simul halitusq.
Spirat vtrinq.

AD LAVDES.

HIC Amor, fœdus, simul osculumq. est
Spiritus Nati, & Patris ex amore
Ille procedens, vtriusque semper
Nexus adhærens.
O Pater tu fons, generansq. mens es:
Nate tu verbum, fluuiusq. manans.
Spiritus tu Pax, Amor, & voluptas,
Munus, & ignis.
Tu Pater fortis, sapiensq. Nate,
Spiritus flagrans, Deus vne, trine,
Da fidem nobis. tibi nam loquenti
Credimus ecce.

Teque,

Teque, quem mens hic capere vlla non quit,
Fac vt in cælo, velut es, tuentes
Semper adiuncti Seraphim canamus
Ter, tibi, Sanctus. Amen.

IN VIGILIA SANCTISSIMI Corporis Christi. Ad Vesperas.

EN Agnus ille, Crimina
Qui cuncta Mundi sustulit,
In Crucis ara torridus
Nobis edendum se dedit.
En sanguis ille, qui mare,
Terrasque, & astra perluit,
Vt corda nostra roboret
Implet beata pocula.
Venite inebriamini
Mensa hac sacra, charissimi.
Stolis at albis candidi,
Admitti ad hanc si quæritis.
Ne fortè nuptialibus
Heu non amicti vestibus
Pedes reuincti, & brachia
In Tartarum trudamini.
O nobilis refectio:
Pane Angelorum vescitur
Homo, illud Hebræis datum
Qui Manna vincat cælicum.

Ebrietas dulcissima,
Quæ Charitate spiritum
Inflammat, & dat lacrymas;
Inde & superna gaudia.
Nostrum, IESV, conuiuium,
Qui, vt nos tibi coniungeres,
In nostra corda transiens
Vt simus vnum perficis.
Fac quomodo hic te sumimus,
Sic in paterna Regia
Tecum perenni Ambrosia
Vescamur omni tempore.
Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine. &c.

IN FESTO SANCTISSIMI Corporis Christi.

ANTE te Mundi Sator, ac Redemptor,
Quem modò nostris oculis obumbrans
Occultt puri, & niuei latentem
Panis imago:
Corde prostrati, genibusq. flexis
En tibi grates agimus perennes.
Charitas nam sic tua nos amatos
Reddere cogit.
Nasceris nobis, paterisq. nobis:
Fundis & nobis moriens cruorem:
Nos trahis scandens super astra: nobis

Aethera donas.
Hoc tibi non sat. famulis sed ipsum
Te cibum præbes. quid agis, Creator?
Nostraq. intrantem tremefacta adorant
Viscera CHRISTVM.
Ac sitim nostram proprio, sacroq.
Sanguine extinguis, pretio salutis.
Sic es & nobis Deus ipse, homoq.
Potus, & esca.
Ergo sic in nos venias, precamur,
Vt trahas ad te, facias & vnum.
Sic vt in cælis tibi copulati
Simus & vnum.
Quà tuæ æternæ celebrantur, Agne,
Nuptiæ; & mensa simul accubantes
Ferculis illis epulemur vnà
Omne per æuum.
Tu caput nostrum, simul ipse nostrum
Dulce eris Nectar: Saturi, ebrijq.
Membra nos temet, tibi concinemus
Dulciter hymnos.
Laus Deo Patri pariliq. proli,
Et tibi compar vtriusque semper
Spiritus, cuius reboat per omnem
Gloria mundum. Amen.

HYMNORVM LIBRI TERTII, ET VLTIMI FINIS.

Ego Pompeius Vgonius S. Theologiæ Doctor. de mandato R.P. Magistri sacri Palatij vidi superiores Hymnos ab Ill.D. Mutio Sfortia compositos. nec quidquam in eis animaduerti quod aut fidei Catholicæ, aut bonis moribus aduersetur; quin immo ob expressam in eis pietaté, sacramq. eruditionem dignos censeo qui in lucem emittantur.

Ego Pompeius Vgonius S. Theologiæ Doctor. m. propria.

